DISQUISITIO HISTORICA

IN ORIGINEM USUS SLAVICI IDIOMATIS
IN
LITURGIA
APUD SLAVOS AC PRAECIPUE CHROATOS.

DISSERTATIO

PRO GRADU DOCTORATUS

IN FACULTATE THEOLOGICA FRIBURGENSI
HELVETIORUM OBTINENDO ADPROBATA

QUAM SCRIPSIT ATQUE PUBLICE PROPUGNAVIT
DIEBUS 29., 30. et 31. JANUARII 1908.

FR. LEO PETROVIĆ, O. F. M.
HERCEGOVINENSIS PROVINCIAE ALUMNUS.

MOSTAR 1908.
TYPIS TYPOGRAPHIÆ SOCIETATIS CHROATICÆ.

DISQUISITIO HISTORICA

IN ORIGINEM USUS SLAVICI IDIOMATIS

IN

LITURGIA

APUD SLAVOS AC PRAECIPUE CHROATOS.

DISSERTATIO

PRO GRADU DOCTORATUS

IN FACULTATE THEOLOGICA FRIBURGENSI HELVETIORUM
OBTINENDO ADPROBATA

QUAM SCRIPSIT ATQUE PUBLICE PROPUGNAVIT DIEBUS 29., 30.
et 31. JANUARII 1908.

FR. LEO PETROVIĆ, O. F. M.

HERCEGOVINENSIS PROVINCIAE ALUMNUS.

MOSTAR,

TYPIS TYPOGRAPHIAE SOCIETATIS CHROATICAE.

1908.

»᾿Ακούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ.«

„Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei".

Act. App. II. 11.

Sine labe originali conceptae

Sanctissimae Virgini Mariae

In coelos assumptae

Patronae Hercegovinensis provinciae

Tenue hoc opusculum

Offert atque dedicat

Clientulus humillimus

Auctor.

Approbatio Reverendissimi Ordinariatus.

Nr. 302.

Imprimatur:

Mostar, 30. augusti 1908.

L. S.

† Paschalis
episcopus.

Approbatio Ministri Provincialis.

Nr. 127.

Ex parte ordinis nihil obstat:

Mostar, 28. augusti 1908.

L. S.

P. Ambrosius Miletić
Min. Provincialis.

Prooemium.

Slavici sermonis liturgici studio aliquantulam operam navare atque de eo disserere habemus in animo, cum praesertim propter remotissimam *antiquitatem* eius et insignem *singularitatem* in tota catholica Ecclesia, tum vel maxime ob gratissimam gloriosissimamque memoriam ss. Cyrilli et Methodii illius auctorum, qui primi omnium sanctioris christiane vitae, sanioris culturae atque civilitatis humanioris inconcussa apud Slavos olim iecissent fundamenta.

Praemonendum interim opportune venit, nos hisce haud ab imis pulveribus excitare velle quaestionem de ritu, quo lingua slavica introducta in liturgiam erat, *sive in Moravia sive in Chroatia;* praesertim quia fontes historici altissimum hac de re tenent silentium. Adnotamus tantummodo *a temporibus antiquissimis* fuisse in Chroatia nuncque in usu esse *ritum latinum* seu *romanum* [1]) etiam in liturgia slavica; linguam vero expressam characteribus *glagoliticis* quorum auctor ipse s. Cyrillus perhibetur atque certe fuisse creditur [2]).

Proposuimus igitur nobis praecipue accuratius indagare ac perscrutari *tempus introductionis sive originem linguae slavicae liturgicae* in terris Chroatorum, h. e. in Illyrico occidentali.

---

[1]) Forsan iam temporibus s. Methodii in aliquibus saltem partibus Moraviae, in usu erat lingua slavica *secundum ritum romanum.* — Cfr. Jagić V. „*Glagolitica*" („Denkschriften d. W. Akad. Bd. XXXVIII"); „*Archiv für slavische Philologie*" XIV, p. 292 s.; „*Zur Entstehungsgeschichte*" I, p. 13—14, 49, 56—7; W. Vodrák, *Archiv f. sl. Philol.* XIV, p. 278 ss.; Ginzel putat ss. Fratres Missam et alia sacra officia secundum *ritum romanum ab initio* celebrasse. — Cfr. *Geschichte der Slawenapostel,* § 28, p. 107—112. Vide et W. Szcześniak, *Obrzadek Słowiánski,* p. 46 ss.

[2]) Auctor litterarum slavicarum, quae vulgo „*cyrillianae*" vocantur, ignoratur. — Cfr. Jagić, *Z. Entstehungsgschte.*, I, p. 64—66. „*Einige Streitfragen.* 5. Welcher von den zwei slavischen Schriften soll die Priorität zuerkannt werden?" (In *Archiv f. slav. Philol.* XXIII, p. 113—121.)

Sed vero maioris elucidationis gratia solutioni salebrosae atque intricatae eiusmodi quaestionis perplura sunt praemittenda. Quapropter bifariam *dissertationem* nostram partimur. In prima parte examen criticum de fontibus historicis instituendum. In primo loco occurrunt *Legendae* sive *Vitae* nostrorum Apostolorum, de quibus breviter acturi, quantum nempe scopo nostro est necessarium. Secundo loco percensebimus *Epistolas Romanorum Pontificum,* easque solas, quae ab eruditis in dubium sunt vocatae, ut illa Hadriani II. an. circ. 869.—70., tum epistolam Joannis VIII. an. 880., quam *authenticam* tuentur tenentque doctores; demum illam Stephani VI. (V.) an. circ. 885.—86., quam ex parte saltem interpolatam esse autumant periti. Denique introductionem ac vicissitudines linguae slavicae liturgicae apud Moravos brevibus succincte exponemus.

Haec apposite ac necessario sunt ponenda, quia scire cogimur praedictam linguam Slavicam liturgicam *certe* in Moravia olim exstitisse, eamque saepius — *certo certius bis* — prohibitam fuisse, ac semel — *certissime* — a sancta Sede confirmatam. Varia enim, pro rerum ac temporum varietate, de hac re, quae non ad fidem aut mores, sed ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, fuerunt iudicia Pontificum Romanorum; nam: „*salus animarum suprema lex esto*“.

Secundam vero nostrae dissertationis partem in tres paragraphos dividimus. In quarum prima de politico-ecclesiasticis relationibus Chroatorum ad occidentalem et orientalem ecclesias, necnon de eisdem ad reges Franconum et imperatores Byzantinos tractabimus. Haec praeponenda putamus, quia deficientibus documentis *directis, indirectis* ad conclusiones nostras deducendas et confirmandas, est nobis sane utendum.

In paragrapho porro secunda de relationibus ss. Cyrilli et Methodii eorumque discipulorum cum Chroatis atque communicationibus reciprocis acturi sumus; quaestio enim de usu idiomatis slavici in liturgia a ss. Fratribus est quodammodo inseparabilis. Etenim praeter immensos labores in susceptis missionibus exantlatos, plurima sancti viri pertulerunt adversa propter dictum slavicae linguae usum: eorum orthodoxia saepius in dubium vocata ipsique e provincia Romam citati; imo etiam non semel fuerunt calumniati.

In tertia demum paragrapho huiusce partis *tempus* introductionis idiomatis slavici liturgici apud Chroatos, quod est

probabilius ac propius veritatem, pro virili, omni ex parte investigare conabimur.

An hisce assumptae quaestionis nodum feliciter dissolverimus, vel saltem tutiorem viam id assequendi coniecerimus, peritiorum iudicio relinquimus dirimendum.

Scribebam Friburgi Helvetiorum, die 30. octobris 1907.

Fr. Leo Petrović, O. F. M.

Index bibliographicus.

a) Opera varia, in dissertatione elaboranda adhibita.

Acta Sanctorum Bollandiana. Bruxellis — Romae — Parisiis, 1643—1894 (cum *„Propylaeum ad AA. SS. Novembris [1902]“).*

Avril Adolf d', *S. Cyrille.* Mémoire sur la langue, l'alphabet et le rite, attribués aus apôtres Slaves du IX. siècle (Cfr. „Contemporains“, mai 1877).

Bartolini-Danilo, *Sveti Ćirilo i Metod.* U Zadru, 1885.

Bretholz B., *Ueber das 9. Capitel der pannonischen Legende des hl. Methodius* (cfr. *Mittheilungen des Instituts für oesterreichische Geschichtsforschung.* Bd. XVI, p. 342 ss.). Innsbruck, 1895.

Broz Dr. Ivan, *Crtice iz hrvatske književnosti,* 2 volum. Zagreb, 1886. et 1888.

Brückner A., *„Thesen zur Cyrillo-Methodianischen Frage“* (In *„Archiv für slavische Philologie“.* Bd. XXVIII, p. 186 ss.).

Dümmler Ernst, *„Geschichte des ostfränkischen Reiches“.* 3 Bde., Leipzig, 1887—1888. (Editio secunda).

Dümmler E., *„Die pannonische Legende vom hl. Methodius“* (Cfr. *„Archiv f. Kunde oesterreich. Geschichtsquellen“.* Bd. XIII, p. 145 ss.). Wien, 1854.

Dümmler E., *„Ueber die älteste Geschichte der Slawen in Dalmatien“.* (In *„Sitzungsberichte der kais. Akademie in Wien“.* Bd. XX.). Wien, 1856.

Farlati Daniel, *Illyricum Sacrum.* Venetiis, 1751.—1819. Vol. 8. Opus inceptum a Riceputi, continuatum a Farlati et absolutum a Coleti.

Gfrörer-Weiss, *Byzantinische Geschichten* 3. Bde. Graz, 1872, 1873, 1877.

Friedrich Joh., *Ein Brief des Anastasius bibliothecarius an den Bischof Gaudericus von Velletri über die Abfassung der „Vita*

cum translatione s. Clementis Papae". Eine neue Quelle zur Cyrillus- und Methodius-Frage (Cfr. *Sitzungsberichte der k. Akad. d. Wissenschaften. Philosoph.-philol.-historische Classe. Jahrgang 1892*, p. 393 ss.). München, 1893.

Ginzel Aug. Joseph, *Geschichte der Slawenapostel Cyrill und Method.* Leitmeritz, 1857.

Goetz Lic. Leopold Karl, *Geschichte der Slavenapostel Konstantinus (Kyrillus) und Methodius. Quellenmässig untersucht und dargestellt.* Gotha, 1897.

Hauck dr. Albert, *Kirchengeschichte Deutschlands.* 4 Bde. Leipzig, 1900.

Hergenröther Jos., *Photius Patriarch von Constantinopel. Sein Leben, seine Schriften und das griechische Schisma. Nach Handschriften u. gedruckten Quellen.* 3 Bde. Regensburg, 1867.

Jagić Vatroslav, *Die neuesten Forschungen über die slavischen Apostel Cyrillus und Methodius* (in *„Archiv für slavische Philologie"*. Bd. IV, p. 297 ss.).

Jagić V., *Glagolitica* (in *Denkschriften der kais. Akad.* Bd. XXXVIII). Wien, 1892.

Jagić V. *„Priměri starohěrvatskoga jezika"*. 2 volumina Zagreb, 1866.

Jagić V., *Zur Entstehungsgeschichte der kirchenslavischen Sprache* (in *„Denkschriften" d. kais. Akad. in Wien.* Bd. XLVII.) 2 Theile, Wien, 1901.

Jelić dr. Lucas, *Fontes historici liturgiae glagolito-romanae.* Veglae, 1906.

Jireček Constantinus, *Die Romanen in den Städten Dalmatiens während des Mittelalters.* 2 Theile (in *„Denkschriften"*. Bde. XLVIII et XLIX). Wien, 1902.—03.

Jireček C. *Geschichte der Bulgaren.* Prag, 1878.

Klaić Vjekoslav, *Povjest Hrvata.* Zagreb, 1899 ss.

Kukuljević Ivan, *Codex diplomaticus regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae.* U Zagrebu, 1874.—75. vol. 2.

Lamansky V., *Vita Cyrilli* (in *„Archiv f. slav. Philologie"*. Bde. XXV, p. 544 ss.; XXVIII, p. 162 ss.).

Lapôtre A., *L'Europe et le Saint-Siège à l'époque carolingienne* (Jean VIII 872—882) I. partie. Paris, 1895.

Lavisse-Rambaud, *Histoire générale du IV. siècle à nos joures.* Paris, 1893.

Leger Louis, *Cyrille et Méthode. Etude historique sur la conversion des Slaves au christianisme.* Paris, 1868.

Lucius (Lučić) Joannes, *De regno Dalmatiae et Croatiae libri sex. Amstelodami,* 1666 (Editio nova atque emendata Vindobonae, 1758.).

Marković-Perković, *Slaveni i Pape,* 2 vol. Zagreb, 1903—04.

Martynov J., *Annus ecclesiasticus Graeco-Slavicus* (Cfr. *Acta Sanctorum Bollandiana.* Octobr., tom. XI, p. I—VII, 1—328).

Migne J. P., *Patrologia Latina,* vol. 217. Parisiis, 1844—55.

Milinović O. Šimun, *Crtice o slovenskoj liturgiji.* Zadar, 1880.

Neveřil Johannes, *Die Gründung und Auflösung der Erzdiözese des heil. Methodius, des Glaubensapostels der Slaven* (in „*Gymnasial-Programm*“). Hungarisch-Hradisch, 1896—1900.

Pastrnek Fr., *Dějini slovanskych apoštolů Cyrilla a Methoda.* Praha, 1902.

Prodan Ivo, *Borba za glagolicu* („*Uspomene*“ X.) Zadar, 1900.

Prodan Ivo, *Je li glagolica pravo svih Hrvata?* Zadar, 1904. (opus anonymum).

Rački Franjo, *Documenta historiae Chroaticae periodum antiquam illustrantia. Edidit academia scientiarum et artium Slavorum meridionalium* („*Monumenta spectantia historiam Slavor. meridional*“. Vol. VII.). Zagrabiae, 1877.

Rački Franjo, *Nutarnje stanje Hrvatske prije XII. stoljeća* (in „*Rad jugoslavenske akademije znanosti i umjetensti*“. Knjige LVI, LVII, LXX, LXXIX, XCI, XCIX, CV, CXV et CXVI). Zagreb, 1880—1894.

Rački Fr., *Viek i djelovanje sv. Cyrilla i Methoda, slovjenskih apoštolov.* U Zagrebu, 1857—59.

Rattinger Daniel, *Der hl. Cyrill und der hl. Method.* (in „*Stimmen aus Maria-Laach.* Bd. XXII, pp. 38 ss., 157 ss. et 400 ss.). Freiburg im Breisgau, 1882.

Ružičić Nikador, *Kurze Uebersicht der historischen Entwicklung des kirchlichreligiösen Lebens bei den Serben* (in „*Revue internationale de Théologie*“ Années III et [IV. 1895—96]).

Simoncelli Vincenzo, *La liturgia glagolito-romana nella sua origine e nel suo svolgimento storico-giuridico* (in „*Rassegna*

giuridica ecclesiastica". Anno II. (1904), Nr. 9—10, p. 657 ss.; Nr. 11—12, p. 792 ss.; An. III. (1905), Nr. 8 – 9, p. 449 ss.).

Smičiklas Tade, *Poviest Hrvatska*, 2 diela. Zagreb, 1879—82.

Starine jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti. U Zagrebu, 1869—1898., vol. 29.

Szcześniak Władysłav, *Obrzadek Słowiański w polsce pierwotnej. Rozważony w świetle dziejopisarstwa polskiego*. Warszawa, 1904.

Tkalčić Ivan Krst., *Na uspomenu tisuću-godišnjice sv. Cyrilla i Methoda, slovjenskih apoštolah*. Zagreb, 1863.

Tkalčić Ivan Krst., *Slavensko bogoslužje u Hrvatskoj*. Zagreb 1904.

Wattenbach dr. Wilhelm., *Beiträge zur Geschichte der christlichen Kirche in Mähren und Böhmen*. Wien, 1849.

Zeiller Jacques, *Les origines chétiennes dans la province romaine de Dalmatie. (dans la „Bibliothéque de l'école des hautes études"*, Nr. 155.). Paris, 1906.

b) Ephemerides periodicae.

Analecta Bollandiana. Bruxellis, 1882—1907. Vol. XXVI.

Archiv für slavische Philologie, herausgegeben von V. Jagić. Berlin, 1876—1907. Bd. 1—28.

Arkiv za povjestnicu jugoslavensku. Edidit Ivan Kukuljević-Sakcinski. Zagreb, 1851—75. Vol. 12.

Byzantinische Zeitschrift, herausgegeben von Karl Krumbacher. Leipzig, 1892 – 1907. Vol. 11.

Mélanges d'archéologie et d'histoire, publiés par l'Ecole française de Rome. Rome & Paris, 1881—1907. Vol. 27.

Mittheilungen des Instituts für oesterreich. Geschichtsforschung, redigirt von E. Mülbacher. Innsbruck, 1880 – 1907. Vol. XXVIII.

Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde. Hannover, 1876—1907. Bde. 32.

Revue de l'histoire des religions. Paris, 1880 – 1907.

Revue des questions historiques. Paris, 1866—1907.

Conspectus tractatuum dissertationis.

Pars prima.

I. Criticum examen fontium historicorum.

Fontes, quibus in Dissertatione concinnanda utimur in duas classes dividi possunt: 1. in *Legendas* et 2. in ***Epistolas** Romanorum Pontificum.* Agamus igitur nunc breviter de *Legendis* sive *Vitis* earumque historico valore.

1. Legendae.

a) Legenda Italica, quam quidam *Romanam* appellare consuevere, estque una ex *Legendis,* quae maximam meretur fidem; quia auctorem habet Gaudericum, episcopum Veliternensem, coaevum ss. Cyrillo et Methodio. Auctoritas huius Legendae crevit post editionem *„Epistolae Anastasii bibliothecarii ad Gaudericum eppum. Veliternensem"*, quam praeparavit Friedrich sub titulo: *„Ein Brief des Anastasius bibliothecarius an den Bischof Gaudericus von Velletri über die Abfassung der „Vita cum translatione s. Clementis Papae". Eine neue Quelle zur Cyrillus- und Methodius-Frage"* [1]).

De hac *Legenda Italica* plures critici scripserunt, sed optime Martynov in *„Revue des questions historiques"* [2]).

A nobis aliquando sub titulo: *„Vita cum translatione s. Clementis"* citatur.

---

[1]) Cfr. Sitzberichte d. k. Akad. d. Wissensch. München. Jahrg. 1892. p. 438—442. Ipsi praemissa est dissertatio. Ib. p. 393 ss. Illam reedidit Goetz, *Slavenapostel,* p. 243 ss. Deinde saepius reimpressa est.

[2]) 71. livr., p. 110 ss.; et 81. livr. p. 220 ss. Vide adhuc Lavrovsky, *„Italijanska legenda"* et Jagić in *„Archiv f. slav. Philologie"* Bd. X, p. 305 ss.

Textum huius Legendae videre est apud Ginzel *(Slawenapostel, Codex,* p. 5 ss.), Prodan *(Borba za glagolicu, Prilog B.* p. 3 ss.), Goetz *(Slavenapostel,* p. 247 ss.) et alibi.

b) Legenda Pannonica sive *„Vita s. Methodii“* maxima est omnium Legendarum, quae de ss. Cyrillo et Methodio agunt. Scripta est, statim post mortem s. Methodii († 6. aprilis 885.). Auctor ipsius videtur esse unus e discipulis s. Methodii, qui illam Graeco sermone scripsit, sed textus originalis deperditus est. Veterrimmus textus est Russicus saec. XII. Haec *Legenda* cum praecedenti fere semper facta historica narrat, et, quamvis in aliquibus locis satis obscure loquitur, tamen eius auctoritas haud parva est, praesertim post editionem sic dictae: *„Collectionis Britannicae“* (Epistolarum Joannis VIII. ad episcopos Bavaricos)[1], quam praeparaverunt Ewald[2]) et Fr. Rački[3]), quâ omnia illa, quae cap. IX. huius Legendae narrantur, confirmata sunt. Epistola Hadriani II. tantummodo in hac *Vita* (cap. 8.) conservata est, de qua nos infra fusius disseremus.

Editionem criticam *Legendae Pannonicae* praeparavit E. Dümmler[4]) sub titulo: *„Die pannonische Legende vom hl. Methodius“*. Ginzel sine ullo motivo hanc *Vitam* „das Machwerk eines griechischen Schismatikers“ declarat[5]).

c) Vita Constantini sive *Cyrilli.* Haec *Legenda* incerti est auctoris[6]) et minoris est auctoritatis quam duae praecedentes; in ipsa enim plura narrantur, quae nullo documento historico confirmari possunt, ita e. gr. disputatio Venetiis coram episcopo, presbyteris et monachis habita[7]) de tribus solummodo linguis liturgicis adhibendis, non potest probari. Ipse disputationis modus est improbabilis. Deinde illae allocutiones[8]) Rom. Pontificis, quas ipsa refert nihil in se probabile habent. Sed

[1]) Solummodo haec Legenda affert (cap. 9.) tribulationes s. Methodii, de quibus plures historiographi dubitabant usque ad an. 1880., quando Ewald edidit epistolas Joannis VIII. in quibus singula, quae perpessus est s. Methodius reperiuntur.

[2]) Cfr. *Neues Archiv* etc. V. p. 275 ss., 303 ss.

[3]) Cfr. *Starine* XII., p. 206 ss. — Apud Prodan, *Borba, Prilog G,* p. 17 ss.

[4]) Cfr. *Archiv für Kunde oesterr. Geschichtsquellen,* XIII (1854), p. 153 ss., cui et digressiones *(Excurse)* adiecit. Textum reperies apud Ginzel, o. c., *Codex*, p. 20 ss.; Prodan, o. c., *Prilog B,* p. 22 ss.

[5]) O. c. *Einleitung*, p. 14.

[6]) Aliqui ipsam s. Clementi, discipulo ss. Cyrilli et Methodii attribuunt, qui fuit primus archiepiscopus Bulgarorum. — Cfr. Rattinger D., *Der hl. Cyrill u. der hl. Method* (in *„Stimmen aus Maria-Laach“*, Bd. XXII. p. 41—42); Bartolini-Danilo, *Sv. Ćirilo i Metod,* p. XV.

[7]) In cap. XVI.

[8]) Cfr. cap. XVII.

tamen et haec *Legenda* quaedam, ut e. gr. diem obitus s. Cyrilli († 14. febr. 869.) recte refert[1]).

Hanc Legendam (e manuscripto saec. XIV.) edidit Schafařik (Pragae 1851), sed editionem criticam praeparaverunt Dümmler et Fr. Miklosich sub titulo: *„Die Legende vom hl. Cyrillus“* [2]).

Brevis conspectus utriusque *Legendae* (Vitae s. Meth. et Vitae s. Cyrilli) apud Martynov: *„Annus Ecclesiasticus Graeco-Slavicus“* [3]) invenitur.

d) Aliae Legendae, ut *„Legenda Bulgarica“* sive *„Vita s. Clementis eppi. Bulgarorum“* [4]), *„Legenda Moravica“* [5]), deinde *„Legenda Bohemica“* [6]), pro nostro scopo pene nullius sunt valoris et valde fabulose narrant quaedam, quae ad vitam et ad apostolicas peregrinationes ss. Cyrilli et Methodii spectant. Ita legenda *Bohemica* dicit s. Cyrillum fuisse coaevum „magnifici Doctoris beatiss. Augustini“ [7]) et illum Bulgaros „ad fidem Jesu boni convertisse“, sed nos e fontibus aliis scimus Bulgaros conversos esse non a ss. Cyrillo et Methodio sed a monachis Byzantinis[8]). Deinde ibidem legimus[9]): „Cyrillus ... fratrem suum Methudium ... in Moravia relinquens, Romam *causa devotionis* est profectus“, sed e legenda *Italica*[10]) notum habemus illos a Nicolao I. Romam e Moravia *citatos* fuisse. — Legenda *Moravica* repetit ea, quae in Leg. *Italica* habentur, sed aliquando ab illa separatur et sermones panegyricos de s. Cyrillo tenet[11]). Quod refert[12]) de conversione Bořzivoy ducis Bohemorum per s. Methodium nullo documento historico probari potest. — Demum Legenda *Bulgarica* plura erronee narrat:

---

[1]) Cap. XVIII.

[2]) In *„Denkschriften d. k. u. k. Akad. der Wiss“. Philos. hist. Classe.* Bd. XIX, Wien 1870, p. 214 ss.

[3]) *AA. Sanctorum Boll.* Oct. Vol. XI, p. 168 ss.

[4]) Ipsam Graece edidit Miklosich Vindobonae, 1847.

[5]) Illam edidit Dobrowsky Pragae 1826.

[6]) Cfr. *AA. Sanctorum Boll.* Sept. V. p. 355 ss.

[7]) Cap. 1.

[8]) De his vide fontes et alia apud Jireček, *Geschichte der Bulgaren,* Prag, 1878, p. 153 ss.; Lapôtre, *L'Europe et le Saint.-Siège,* I, p. 49 ss.

[9]) Cap. 3.

[10]) Cap. 4.

[11]) Cap. 5 ss.

[12]) Cap. 14.

ita secundum illam ss. Fratres Bulgaris (sive „*Slovenis*“) Evangelium praedicabant unde (e Bulgaria) Romanum iter aggressi sunt: „*Beato Papae* (Hadriano II.) *opus interpretationis Scripturarum ostensuri*“ [1]), et, post hoc iter Romanum solummodo, Methodius *solus* cum discipulis (Cyrillus Romae iam mortuus erat) Moraviam properavit [2]). Aperte patet auctorem huius legendae esse quemdam Bulgarum. Quidam putant Theophylactum, metropolitam Achridensem († 1107) [3]).

2. Epistolae Romanorum Pontificum:

De illis tantummodo Rom. Pontificum epistolis hic agemus, quarum auctoritas in dubium vocata est; aliis autem epistolis, quae e Curia Romana promanaverunt, simpliciter, ut documentis historicis, data occasione, utemur.

De authentia sequentium epistolarum dubitatur: a) de *Epistola Hadriani II. ad Rostislaum, Kocelum et Svatoplukum* (an. circ. 869.); b) *Joannis VIII. ad Svatoplukum, principem Moravicum* (mense iunio an. 880. scripta); c) *Stephani VI. (V.) ad Svatoplukum Moravicum principem* (an. circ. 885.).

a) Epistola Hadriani PP. II. ad Rostislaum, Kocelum et Svatoplukum sequentis est tenoris [4]):

„An'drějan'' [5]) episkop'' i rab'' božij k'' Rostislavu i Kocelju (i Svatopluku). Slava v'' vyšnih'' Bogu, i na zemli mir'', v'' čelověcěh'' blagovolenie. Jako o vas'' duhovna slyšahom'', na njaže žaždahom'' c'' želaniem'' i molitvoju, vašego radi spasenija, kako est' v'' zdvigl'' Gospod'' serdca vašja, iskati ego, i pokazal'' vam'', jako netokmo věroju, no i blagymi děly dostoit'' služiti Bogu. Věra bo bez'' děl'' mertva est', i otpadajut'' ti, iže ce mnet'' Boga znajušte, a děly ce ego otmetajut''. Netokmo bo u sego svetitel'skago stola prosiste učitelja, no i u *blagověrnago* carja Myhaila. Da posla vam'' blaženago filozofa Kon'sten'tina i s'' bratom'', don''deže my nedospěhom. Oni če, uvěděvše apostol'skago stola dostoešta vaša strany,

[1]) Cap. 3.

[2]) Cap. 4.

[3]) Cfr. Ginzel, o. c. *Einleitung*, p. 15. s.

[4]) Vide apud Rački: „*Viek i djelovanje*“, p. 241.

[5]) Nostrum „ě“ aequivalet Paleoslavico *jat;* nostrum „y“ = Paleosl. *jery;* nostrum „''“ = Paleosl. *jeru;* nostrum „'“ = Paleosl. *jeri.* — Cfr. Prodan, *Borba,* p. 86 s.

kromě kanona nes''tvoriste nič'sože, no k'' nam'' priidoste, i svetago Klimenta mošti nesušte. My že treguvu radost' primiše, umyslihom'' ispitavše poslati Methodija, svešt'še i s'' učeniky, syna že našego, na strany vaše, muža že s''veršena razumom i pravověrna, da by naučit', jakože este prosili, skazae knigy v'' ezyk'' vaš'', po vsemu cerkovnomu činu ispoln', i s'' svetoju m'šeju (rekše s'' služboju) i krešteniem''. Jakože est' filozof Kon'sten''tin'' načal'' božieju blagodětiju, i za svetago Klimenta molitvy: takože ašte in'' kto v'' zmožet'' dostoino i pravověrno skazati, sveto i blagosloveno bogom'' i nami i vseju katholikieju i apostol'skoju cerkov'ju budi, da byste udob' zapovědi božija navykli. *Esi že edin'' hranite obyčai*, da na m'ši per'voe čtut'' apostol'' i evangelie rimsky, tače sloven'ski, da se ispolnit' slovo knižnoe: jako v''shvalet'' Gospoda vsi ezyci, i drugoici: vsi v'' z'' glagoljut'' ezyki različny veličija božija, jakože dast'' im'' duh'' svetyi otvěštevati. Ašte že kto ot'' s'' brannih'' vam'' učitel' i slyšastih'' slyhi i ot'' istinny otvraštajuštih'' pa vledi, načinet' dr''znuv'' inako raz'vraštati vy, tade knigy ezyka vašego, da budet'' otlučen'', no tokmo v'' sud'' dany cerkvi, dondeže se ispravit''. Ti bo sut'' volci, a ne ovci, eže dostoit'' ot'' plod'' ih' znati i hraniti se ih''. Vy že čada v'' zljublennaja, poslušajte učenia božia, i neotrinete kazania cerkovnago, da se obreštete istinnii poklonnici božii, otcu našemu nebeskomu s'' vsěmi svetymi. Amin'".

Haec epistola in Latina versione sonat[1]):

„Hadrianus episcopus et servus (servorum) Dei. Rostislao et Kocelo[2]). Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas[3]). Audivimus de vobis spiritualia, quae sitiebamus cum desiderio et precibus vestrae salutis gratia, quomodo excitavit Dominus corda vestra ad quaerendum eum, et monstravit vobis, quia non solum fide, sed etiam bonis operibus oportet Deo servire; fides enim sine operibus mortua est; et falluntur ii, qui putant Deum se cognoscere, in operibus autem ab eo desciscunt. Non tantum quippe apud hanc

---

[1]) Notum est, quod haec epistola tantummodo in Slavico sermone conservata sit: invenitur in cap. 8. V. Methodii, quae primum Graece scripta est, sed textus originalis decursu saeculorum deperditus est; ac propterea formulae, quae in epistola occurrunt Graecae liturgiae accurata versio sunt.

[2]) Adde adhuc et „*Svatopluko*". — Cfr. *Archiv f. sl. Philol.* XX, p. 131. In manuscripto saec. XII. omnes tres reperiuntur.

[3]) Secundum Graec. liturg. et textum.

episcopalem Sedem rogastis doctorem, sed etiam a *glorioso* imperatore Michaele, misitque vobis, occasione nobis deficiente, beatum Constantinum philosophum una cum fratre. Illi vero, cognito apostolicae Sedis *iure in vestras partes,* praeter canonem nihil fecerunt, sed ad nos venerunt s. Clementis reliquias ferentes. Nos autem triplici gaudio repleti statuimus re considerata in vestras partes mittere Methodium, filium nostrum, consecrantes eum cum discipulis, virum perfectum intellectu et orthodoxum, ut, quemadmodum rogastis, edoceret vos libros in vestram linguam interpretans, plene cum omnibus ecclesiasticis officiis, et s. Missa, i. e. liturgia[1]) et baptismo, sicut Constantinus philosophus coepit Dei gratia et s. Clementis suffragio; item si quis alius potuerit digne et orthodoxe docere, sit sanctum et benedictum a Deo et nobis et omni catholica et apostolica Ecclesia, ut facile divinis praeceptis assuescatis. *Verum hunc unum servate morem,* ut in Missa primum legatur Apostolus et Evangelium Latine, dein Slovenice, ut impleatur verbum Scripturae: Laudate Dominum omnes gentes, et alibi: Omnes loquebantur variis linguis magnalia Dei, prout spiritus sanctus dabat loqui illis. Si quis autem ex doctoribus vobis destinatis et ex discipulis (eorum) aures a veritate avertentibus, ausus fuerit aliter persuadere vobis, vituperans litteras linguae vestrae, sit excommunicatus; sed tantum in iuditium detur Ecclesiae, donec se correxerit; isti enim sunt lupi et non oves, quos oportet e fructibus eorum cognoscere, et cavere ab illis. Vos autem filii carissimi, audite praecepta Dei, nec repudietis institutionem Ecclesiae, ut inveniamini veri adoratores Dei Patris nostri coelestis, atque omnium Sanctorum[2]). Amen“[3]).

Iste est tenor epistolae Hadriani II., quae in cap. 8. *V. s. Methodii* reperitur. De eius authenticitate aliquando multum disputabatur et nunc etiam disputatur.

Nos imprimis recensebimus omnia illa, quae a diversis auctoribus contra eius authentiam prolata sunt, statimque ar-

[1]) Probabiliter haec explicatio verbi „*Missa*“ non erat in textu originali. Et haec explicatio prodit traductorem esse Graecum.

[2]) Ultima phrasis accuratius sic sonat: „Vos filii dilectissimi audite doctrinam divinam, nec contemnatis praecepta (dicta) ecclesiastica, ut inveniamini veri cultores Dei, *Patri nostro coelesti cum omnibus Sanctis*“. — Ginzel vertit: „ut convertamini veri cultores Dei ad Patrem nostrum coelestem cum omnibus sanctis suis“. (O. c. *Codex*, p. 52).

[3]) Nos secuti sumus versionem Fr. Rački, *Viek i djelovanje*, p. 142 s.

gumentorum valorem indicabimus. Deinde ipsa epistola serio examinata et in veriori trutina pensa nostram de eadem opinionem promemus.

Primus, qui hanc epistolam spuriam proclamavit, fuit Ginzel[1]). Eius rationes sunt sequentes:

a) *Objectio:* „Wie kam P. Johann VIII., inquit Ginzel, im Juni 880 dazu *zu erlauben,* was Hadrian II. schon im J. 868 (rectius 869) gestattet hatte?“

Respon. Minus accurate dicitur de Joanne VIII. eum *„concessisse“ („erlauben“)* usum idiomatis Slavici in ss. Missa et in aliis officiis; in epistola enim Joannis VIII. anni 880. non dicitur *concedimus,* nec *approbamus,* nec *permittimus* aut quid simile, sed *„litteras sclaviniscas ... iure laudamus,* et in eadem (Slavica) lingua Christi Domini preconia ut enarrentur *jubemus“* [2]). Joannes ergo proprie non *concedit,* sed *„laudat“* et defendit contra adversarios liturgicam linguam Slavicam, qui *iubet* ut praeconia Domini in ipsa *„enarrentur“.*

b) *Objectio:* „Johann VIII. wusste eben nichts von einer solchen Gestattung, und dass er davon nichts wusste, also eine solche Erlaubniss seines Vorgängers Hadrian II. nicht vorlag, lehrt sein Brief vom 14. Juni 879 an Method, in welchem er die Feier der hl. Messe in slawischer Sprache als *eine ihn befremdende Neuerung* absolut verbot“.

Resp. Certe Joannes VIII. usum Slavici idiomatis liturgici in dicta epistola ad s. Methodium, se prohibuisse dicit, non ut aliquam *„novitatem“* („als eine ihn befremdende Neuerung“) ut ait Ginzel, sed quia „Ecclesia Dei toto terrarum orbe in *Latina* vel in *Graeca* lingua (solummodo) sacra Missarum solem(p)nia cantat“. Joannes igitur VIII. ne unum quidem verbum habet de aliqua *„innovatione“,* sed simpliciter prohibet usum linguae slav. in ss. functionibus, quia apud alias gentes non est in usu sacra celebrare nisi Graece aut Latine. Joannes VIII. interdicens idioma Slav. in ss. Missa et aliis ecclesiasticis officiis commode non potuit commemorare approbationem (si locum habuit) Hadriani II., „weil sich“, ut verbis Nachtigall[3]) utar, „der Papst selbst dadurch noch in *grössere Widersprüche* verwickelt hätte“, ut patet.

---

[1]) Cfr. *Geschichte der Slawenapostel.* Einleitung, p. 8—9.

[2]) Apud Ginzel, o. c., *Codex,* p. 61—62.

[3]) Cfr. *„Archiv f. sl. Philol.“* XX, p. 133.

c) *Obj.* Ad demonstrandum characterem spurium huius epistolae Ginzel utitur male intellecto Slavico verbo: *„blagověrnago* (carja Myhaila)“, quod ille sic vertit *„a pio* (imperatore Michaele)“.

Resp. Slavicum *„blagověrni“* significat *„gloriosus“*, „illustris“ (Graece „εὔδοξος“) et non *„pius“*, ut vult Ginzel. Etiamsi Michael ab Hadriano II. appellatus fuisset *„pius“*, hoc non posset probare falsitatem dictae epistolae, quia eidem imperatori Nicolaus PP. I. die 13. novembr. 866. scribebat: „Nicolaus episcopus servus servorum Dei, *piissimo* et gloriosissimo dilecto filio Michaëli magno imperatori“ — et in epistola sic ipsum alloquitur: „quapropter fili carissime et *christianissime* princeps“ [1]).

Ginzel argumenta non videntur probantia characterem spurium huius Hadriano II. adscriptae epistolae.

Secundo [2]) loco venit L. K. Goetz, qui in suo opere: *„Geschichte der Slavenapostel“* etc. hac de re agit. Difficultates, quas ipse proposuit ad sequentes reducuntur:

a) *Obj.* „Das ganze Schreiben bewegt sich“, ait Goetz, „durchaus nicht in den stehenden Wendungen, die die Papsturkunden charakterisieren“ [3]).

Resp. Ad hanc difficultatem, mihi videtur adaequatam solutionem dedisse A. Lapôtre [4]), qui ait: „Il n'est pas, selon moi, jusqu'à la formule du début: *„Gloria in excelsis“* [5]) etc., *qui ne milite en faveur de l' authenticité de cette piéce, car on retrouve une formule semblable dans plusieurs autres lettres d'Hadrien II“* [6]). Contra stylum epistolae, quod *non sit curialis,* nihil igitur possumus obiicere.

---

[1]) Cfr. Mansi, *„Sacr. Conciliorum nova et ampliss. Collectio.* Venetiis, 1759—1798. XV, p. 216; Migne, *Patrol Lat.* CXIX, p. 790 ss.

[2]) Friedrich etiam dubium se declaravit dicens: *„Ich möchte mich nicht unbedingt für die Echtheit dieses sonst nicht beglaubigten Schreibens* (Hadr. II.) *aussprechen* (O. c., p. 411. Anm. 1.)“.

[3]) O. c., p. 53.

[4]) Cfr. *„L'Europe et le Saint-Siège“* I, p. 116, n. 1.

[5]) In hac epist. Hadr. II. verba: „Gloria... et in terra pax, in hominibus bona voluntas“ sunt secundum textum Graecum. Id accidit forsitan, quia traductor epistolae fuit Graecus et suae se Ecclesiae accomodare voluit, nolens sequi fideliter textum Latinum?

[6]) Cfr. Migne, *Patr. Lat.*, CXXII, ep. 4, p. 1263; ep. 21, p. 1293 etc.

b) *Obj.* „Die Schreibweise *Svjatopolk* findet sich sonst in keinem Papstbriefe“, ait Goetz, „sondern ausserdem nur in der V. Methodii. *Sie ist leicht erklärlich im Munde eines Slaven*, aber nicht zu vereinbaren mit der sonstigen Schreibweise der Päpste: Zuventapu, Zuentapolcho“ [1]).

Resp. Hic oblitus est Goetz, quod haec epistola solummodo in Slavico idiomate conservata est; ac proinde nulla est difficultas, si etiam modus scribendi Slavicus in epistola occurrit.

Alia, quae Goetz ad demonstrandam falsitatem epistolae Hadriani II. proposuit, iam a Ginzel proposita fuerunt, et ad ea nos supra responsa dedimus.

Tertio porro loco contra authentiam huius epistolae, licet propter alias rationes, quam Goetz, aut Ginzel W. Vodrák [2]) in opere: „*Einige Bedenken gegen die Echtheit des Briefes v. P. Hadrian II. in der Vita Methodii c. VIII.*“ se pronuntiavit. Vodrák veram difficultatem proposuit, quae authenticitatem huius epistolae in discrimen ponit. W. Vodrák dicit, quod epistola, quae portat nomen Hadriani II., sit reapse epistola Joannis VIII. (an. 880). Ille suam opinionem sequentibus probat argumentis:

a) *Obj.* „Wenn es“, ait [3]), „in beiden (i. e. epist. Hadr. II. et Joann. VIII. a. 880) zwar heisst, es solle das Evangelium *zuerst* lateinisch und dann slavisch gelesen werden, so kann es wohl nicht auffallen, *bedenklicher* ist es jedoch, *dass im Briefe Hadrians dieser Modus mit denselben Citaten aus der hl. Schrift motivirt wird, mit welchen der P. Johann VIII. in seinem Briefe die Einführung der slav. Liturgie überhaupt billigt und gutheisst.* So heisst es im Briefe.

Hadrian's	Joh. VIII. an. 880.
... ut vos institueret scripturam *in lingua vestra* interpretans... una cum s. Missa et cum baptismo ut Constantinus philosophus facere coepit.... Unus vero hic servandus est mos ut in Missa primum Apostolus et Evangelium legantur	„... neque enim tribus tantum,

[1]) O. c., p. 54.

[2]) Cfr. „*Archiv für sl. Philologie*“ Bd. XX, p. 141 ss.

[3]) L. c. p. 142 s.

lingua Romana, postea Slovenica, ut impleatur verbum Scripturae: „*Laudabunt Dominum omnes gentes* (Ps. 116. 1)“, et alio loco: „*Omnes loquentur magnalia Dei, prout iis Spiritus S. dedit respondere* (act. Apost. 2, 4, 11)“.

sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quae praecipit dicens: *laudate Dominum omnes gentes et collaudate* eum omnes populi. Et apostoli *repleti Spiritu S. locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei* . . .“

Resp. Quia auctor epistolae Hadriani II. iisdem verbis s. Scripturae utitur ac Joannes VIII. (an. 880) ad probandam *convenientiam* usus idiomatis Slavici etiam in sacris functionibus peragendis W. Vodrák putat, quod epistola, Hadriano II. ab auctore *V. Methodii* adscripta, sit reapse illa Joannis VIII.[1]) Id, quod dicit W. Vodrák de identitate textuum s. Scripturae in utraque epistola, omnino verum est, sed verum est etiam, quod, ut verbis Jagić[2]) utar, „*die zwei Stellen sind eben die Hauptquelle der biblischen Begründung*“. Vis huius argumenti W. Vodrák e sequentibus magis apparebit.

b) *Obj.* „Im Briefe Hadrians“, prosequitur Vodrák[3]), „haben *offenbar* die Citate, die, wie man sieht, hier mehr *verstümmelt* sind, an dieser Stelle, eingeleitet mit: „*ut impleatur verbum Scripturae*“ keinen so rechten Sinn, wie im Briefe Joh. VIII. Denn nicht, dass *zuerst* lateinisch und *dann* slavisch gelesen wird, begründet das Citat „*laudabunt Dominum* . . .“; sondern, dass *überhaupt* slavisch gelesen wird. Daher sollten die Citate nach dem früheren Satze, in welchem die slav. Liturgie bewilligt wird stehen (wie es auch im Briefe Joh. VIII. der Fall ist). *Es ist dies ein logisches Versehen,* welches wir *kaum* einer päpstlichen Kanzlei zumuthen können, *und es ist daher eher auf Kosten* des Verfassers unserer Legende (i. e. V. Meth.) zu setzen“.

Resp. Hoc argumentum optimum esset, si supra accuratam versionem textus Slavici, fundatum fuisset[4]). Citata verba S.

---

[1]) „*Die gleichen Citate* machen es nicht *unwahrscheinlich, dass hier* (ubi verba s. Scripturae adducuntur) *vor allem in diesem Passus eine Verwechselung vorliegt* (Ibidem, p. 143)“.

[2]) *Zur Entstgschte*, I, p. 22.

[3]) L. c., p. 143.

[4]) W. Vodrák sequitur versionem Miklosich, quae hoc in loco defectuosa est. — Cfr. Jagić, o. c., I, p. 22.

Scripturae probare debent non, quod primum Latine deinde Slavice Evangelium et Apostolus (Epistola) legendi sint, sed quod etiam in Slav. lingua licitum sit Dominum laudare; in hoc W. Vodrák optimum ius habet, sed fallitur quando affirmat, quod textus huius epistolae verbis S. Scripturae videatur velle probare, ut primum Latine et postea Slavice legi debeat Evangelium etc.; textus enim Slavicus clare probat liceitatem Slavici idiomatis in „s. Missa et in omnibus eccles. officiis". Restrictio illa (primum legendum esse Evang. etc. Latine deinde Slav.) non *modo imperativo* (ut vertit Miklosich, quem sequitur Vodrák), sed *modo infinitivo* in Hadr. epistola exprimitur, scilicet: „Esi že edin" *hraniti* običai" etc., quod significat: „hunc unum *observare* morem", et non, ut vult W. Vodrák: „unus vero hic *servandus est* mos etc." Illa ergo restrictio facta circa usum idiomatis Slavici quasi *inter parentheses* posita consideranda est: Iste est sensus textus Slavici. Illa igitur verba: „ut impleatur verbum Scripturae („da se ispolnit' slovo knižnoe") optime applicata sunt, nec aliquis *„error logicus (logisches Versehen)"* in hac epistola invenitur [1]).

c) *Obj.* „Dass der angebliche Brief Hadrians", ait Vodrák, „zum Theile ein Reflex des anderen von Joh. VIII. herrührenden Briefes ist, dafür spricht auch seine Stelle: „Illi (scil. Cyrillus et Meth.) vero scientes regiones vestras esse sedis apost., nihil *contra canones fecerunt,* sed ad nos venerunt s. Clementis reliquias ferentes. Nos vero triplici gaudio affecti constituimus, *scrutati (ispitavše),* Methodium mittere ... in regiones vestras, virum perfectum intellectu et *orthodoxum* (pravověrna)". — Was soll hier also diese *Untersuchung* und *Prüfung* (scrutati), wozu die *Hervorhebung* seiner *Rechtsgläubigkeit?* Erinnert es uns nicht an den Brief Joh. VIII. von 880, in welchem Methodius eben für *rechtgläubig* befunden wurde, nachdem er bekanntlich im J. 879 zur diesbezüglichen Verantwortung nach Rom citirt worden ist?" [2])

Resp. Ad hanc difficultatem solvendam nos insufficientes sumus. Quia, quare necessaria fuit defensio orthodoxiae s. Methodii tempore Hadriani II. non possumus e fontibus, ad nostram

---

[1]) Cfr. V. Jagić, o. c. I, p. 22, qui in Slavicis rebus philologicis facile est omnium princeps, et in similibus potest competentissimum ferre iudicium; ideo omnino est legendus.

[2]) *„Archiv f. sl. Philol."*, p. 143—44.

usque aetatem conservatis, scire. Forsan accusatus erat ab eppis. Bavaricis, sed de hoc in fontibus nihil habetur; dum temporibus Joannis VIII. pro certo scimus s. Methodium Romam petere debuisse, ut rationem redderet doctrinae suae. Si in documentis, quae ad nos usque pervenerunt, nihil reperitur de accusatione s. Methodii apud Rom. Pontificem ex hoc necessario non sequitur, quod tale aliquid locum non habuerit. Sed tamen haec difficultas, quam Vodrák proposuit mihi magna valde videtur[1]).

d) *Obj.* „Bezüglich der sich nicht fügenden ungehorsamen Geistlichen enthalten beide Briefe (Hadr. et Joan.) Bestimmungen. Milder sind sie im Briefe Hadrians: „... si vero quis e magistris ad vos confluentibus et aures vestras vexantibus et a veritate in errorem avertere vos parantibus, ausus erit vos aliter docendo perdere, vituperans *libros linguae vestrae*, ne excommunicetur, sed tantum in iudicium detur Ecclesiae, donec corrigatur". Darunter kann man die erste und zweite Ermahnung des zweiten Briefes (Joan. VIII.) verstehen, wo es heisst: „quod si contumaces et inobedientes existentes scandalum aliquod aut schisma facere praesumpserint et post primam et secundam admonitionem si se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis — praecipimus esse procul abiiciendos, secundum auctoritatem capitulorum, quae illi (Meth.) dedimus et vobis direximus" [2]).

Resp. Difficile revera est explicatu supracitata verba in epistola Hadriani II., dum vero in illa Joannis VIII. valde est facile: sufficit ad mentem revocare persecutiones illas et ludibria, quae perpessus est s. Methodius apud „*Suabos*" durante eius triennali incarceratione (an. 870.—873.)[3]). Sed tamen illa verba in epistola Hadriani II. possunt intelligi; quia ius et potestatem habet Rom. Pontifex subdendi alicui episcopo omnes, qui inter fines illius dioeceseos inveniuntur. Possumus etiam supponere, quod illa verba fuerint mera formula, quae numquam omittebatur in litteris creantibus aliquem in episcopum. Similis formula habetur etiam in epistola Stephani VI.[4]),

---

[1]) De hac difficultate, quae nobis magna apparet, V. Jagić, qui argumenta W. Vodrák sibi proposuit refutare, nihil dicit. — Cfr. *Z. Entstgschte* I, p. 21—3.

[2]) Cfr. „*Archiv f. sl. Philol.*" XX, p. 144.

[3]) Cfr. *Neues Archiv* V, p. 301 ss.; *Starine* XII, p. 206 ss.

[4]) „Contumaces autem et inobedientes, contentioni et scandalo insi-

quae in aliis contrarii est tenoris: ipsa prohibet usum Slav. idiomatis.

e) *Obj.* „Um jede Wolke des Misstrauens zu verscheuchen“, prosequitur W. Vodrák, „heisst es hier (in ep. Hadr. II.) die Slaven hätten sich einen Lehrer auch beim hl. Stuhl erbeten und zwar an erster Stelle. Rom hatte sich aber bei dieser Gelegenheit verspätet (sonst war es stets bereit und pflegte anderen zuvorkommen, man denke, wie es sich beeilte dem Gesuche des Bulgarenfürsten Boris nachzukommen), in dem der *„Fromme“* Kaiser Michael den Slaven früher Lehrer schickte. *Die Sache klingt recht unglaublich, wenn wir denken, von welchen Motiven sich Rostislav wohl leiten liess, als er um slavische Lehrer bat“* [1]).

Resp. Certe incredibile videtur, ut Hadrianus II. non miserit aut non potuerit invenire missionarios, supposito, quod revera Rostislaus ab ipso Pontifice missionarios petiisset, quod e textu epistolae plane sequitur. Illis enim temporibus Chroati e. gr. fuerunt ad christianismum conversi et Rostislaus postulabat missionarios *Slavici* sermonis peritos [2]). Hadrianus igitur potuit Rostislao idoneos missionarios facile invenire. Ergo et haec conclusio W. Vodrák logica et ligitima apparet, sed tamen eius thesi, de „commutatione“ (Verwechselung) nominis Hadriani II. in illud Joannis VIII., minime favet.

Sub fine suae argumentationis ait W. Vodrák, quod, quamvis sit „eher geneigt ihn (ep. Hadr. II.) für *unecht* zu halten“, tamen „ich stimme nicht mit Goetz überein, dass wir es mit einer absichtigen Fälschung zu thun haben, die einen bestimmten Zweck gehabt hätte“ [3]). Ergo etiam W. Vodrák, quamvis magis inclinet opinioni negativae (quod epist. Hadr. II. non sit authentica), tamen argumenta Goetzii omnino reiicit, quia eius biographia ss. Cyrilli et Methodii est: „eigentlich nur

stentes, post primam et secundam admonitionem si se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiae gremio abiici sancimus et ne una ovis morbida totum gregem contaminet nostro vigore refrenari et a vestris finibus procul excludi praecipimus“. — Cfr. Ginzel, o. c., p. 67.

[1]) *„Archiv f. sl. Philol.“* Bd. XX., p. 144 - 5.

[2]) Cfr. V. s. Methodii, cap. 5.

[3]) Goetz nempe supponit (quod numquam potuit probare) aliquem e discipulis s. Methodii fabricasse hanc epistolam: *„im Kampfe seiner Kirche gegen die Fränkische“*. — Cfr. *Slavenapostel*, p. 57 ss.

eine Geschichte von angeblichen Fälschungen die ihr Leben und Wirken betrifft"[1]).

Ex argumentis W. Vodrák sequitur possibile saltem esse ut haec epistola, ab auctore *V. Meth.* Hadriano II. adscripta, non sit authentica, sed tamen sufficiens non habetur fundamentum contrariam opinionem *ut falsam* reiiciendi, quia ex eo, quod non possumus quaedam in aliquo documento explicare, *necessario* non sequitur, ea non esse vera.

Postremo quarto loco sicut W. Vodrák, ita et Al. Brückner, in *„Thesen zur Cyrillo-Methodianischen Frage"*[2]) hanc epistolam esse in veritate illam Joannis VIII. (an. 880.) opinatur[3]). Brückner s. Methodium falsificatorem fuisse affirmat. cuique, iuxta ipsum, in tota hac magna Cyrillo-Methodiana quaestione pessimae partes essent attribuendae: Methodius fuisset propagator schismatis Patriarchae Photii; erat enim *„noch mehr Photius als Photius selbst,* sub finem vitae suae Methodius *„war fertig mit Rom"* etc[4]). Argumenta, quae Brückner thesi suae probandae affert, maxima ex parte iam dudum a peritis sine valore esse probata sunt. Principaliora eius argumenta sunt sequentia:

a) *Obj.* Quia nihil de confirmatione liturgici idiomatis Slavici in *„Legenda Italica"*, nec de hac Hadriani II. epistola. dicitur. Ergo, secundum Brückner, haec epistola est spuria declaranda.

Resp. Notandum, quod secundum eumdem Brückner auctor cum *„Leg. Ital."* tum *„V. Meth"* (in cuius cap. 8. epist., de qua nunc agimus, reperitur) est ipse s. Methodius[5]), quare igitur nihil de linguae Slav. liturgicae confirmatione in *Leg. Ital.* habetur, ipse Brückner explicare deberet, quia contra omnes affirmat s. Methodium esse auctorem utriusque Legendae (Ital. et V. Meth.). Nos iam aliunde notum habemus auctorem *Legendae Ital.* non s. Methodium, sed Gaudericum, episcopum Veliternensem fuisse et V. Methodii aliquem eius discipulorum[6]).

---

[1]) Cfr. *Archiv f. sl. Philol.* XX., p. 146.

[2]) Cfr. *„Archiv f. sl. Philol."* Bd. XXVIII., p. 186 ss.

[3]) Ibidem, pp. 191, 192, 195, 204, 206.

[4]) Ibidem, pp. 213, 216 s.

[5]) L. c., p. 186 ss.

[6]) Jam ex eo, quia in *V. Meth.* (cap. 17) s. Methodii mors refertur, possumus concludere, quod ipse non potuerit illam totam scribere. Nec aliquid aliud loquitur pro sententia Al. Brückner.

b) *Obj.* Quia Joannes VIII. in suis litteris prohibitoriis (an. 879.) nihil de hac Hadriani Papae II. epistola dicit, Brückner concludit eam esse spuriam [1]).

Resp. Similiter ante 50 annos eadem obiiciebat Ginzel, quem Rački refutavit [2]). Quare autem Stephanus VI. (V. an. 885.) non meminit epistolae Joannis VIII. (an. 880.), quam Brückner authenticam dicit, cuius responsio: „Weil sie (ep. Joan. VIII.) äusserst verklausuliert war, Johann VIII. mit halber Hand zurücknahm, was er eben mit voller gespendet hatte (Epist. et Evang. debent Latine legi, Svatopluko et suis libertas data est), Method diese Bedingungen *vielleicht nicht gehalten hat* (sed undenam hoc concludis?), so dass man sich in Rom an *nichts mehr gebunden fühlte* (sic!) und zu dem älteren Zustand von 879 u. 873 zurückgriff, wobei allerdings Wiching auch mit *erdichteten Einzelheiten,* z. B. dem *angeblichen Schwur* des Methodius, nicht zurückhielt" [3]) mihi insufficiens videtur. Etenim iuxta eumdem Brückner Joannes VIII. debuit anno 880. concessionem Hadriani II. (an. 869.) commemorare, sed Stephanus VI., respectu Joannis VIII., anno 885., *„sich an nichts gebunden fühlte"*. Lector de eius argumentationis logica et valore iudicabit!

Nunc demum sequitur nostra expositio.

Secundum narrationem *V. Methodii* [4]), — quae magne auctoritatis est — Kocel, princeps Pannoniae, mittens nuntios ad Hadrianum II. petiit ab illo, ut sibi cederet Methodium „beatum doctorem nostrum [5]) — et dimisit (Hadr.) illum (Meth.) postquam scripsit epistolam hanc (nunc sequitur epistola, quam nos alibi dedimus)". Ergo iuxta *V. Meth.* ad petitionem Koceli Hadrianus II. misit in Pannoniam s. Methodium cum epistola, in cuius initio Rom. Pontifex dicit se esse magno gaudio perfusum, quia principes Slavici, eorum „salutis gratia" se ad ipsum converterunt. Deinde breviter meminit originis missionis

[1]) Opus cit. p. 206.

[2]) Vide dicta supra contra Ginzeli obiectiones.

[3]) Cfr. *„Archiv f. sl. Philol."* XXVIII., p. 206.

[4]) Cap. 8. — Apud Ginzel, o. c., *Codex,* p. 26 s.; Prodan, *Borba, Prilog B*, p. 28 s.

[5]) S. Methodius cum fratre suo Cyrillo in primo itinere Romano (a. 867.) apud Kocelum morati sunt, quod refert *V. Cyrilli* (cap. 15.) et valde probabile est, quod locum habuerit; quamvis alio aliquo documento non possit confirmare. — Cfr. Jagić, o. c., I., p. 14.

Moravicae. Postea mentionem facit de Michaele imperatore C. Politano et de Constantino (Cyrillo), philosopho. Deinde ibidem nominatim dicitur, quod uterque fratrum (Cyrill. et Method.) „cognito apostolicae Sedis iure in eas (Slavicas) partes, Romam venerint „s. Clementis reliquias ferentes". Contra hucusque dicta nihil potest obiici, nec aliquid simile in epistola Joannis VIII. occurrit, quod expectaretur ex sententia W. Vodrák et Al. Brückner. Post haec sequitur testimonium orthodoxiae s. Methodii, quod, quare posuit Hadrianus II. non possumus coniicere, quia nescimus an ss. Fratres iam ante ipsorum iter Romanum (an. 867.) persecutiones passi fuerint necne. Demum sequuntur illa verba, quibus idioma Slavicum confirmatur. His dictis Rom. Pontifex mittens Slavis s. Methodium ait ad illos: „ut quemadmodum rogastis, edoceret vos libros in vestram linguam interpretans plene cum *omnibus ecclesiasticis officiis,* et *s. Missa* (i. e. liturgia) et baptismo, sicut Constantinus philosophus caepit Dei gratia . . ." Et infra: „item si quis alius potuerit digne et orthodoxe interpretari, sit sanctum et benedictum a Deo et nobis et omni catholica et apost. Ecclesia". Nunc solummodo venit illa restrictio: „ut in Missa primum legatur Apostolus et Evangelium Latine dein Slovenice". Postea Hadrianus II. e S. Scriptura, illis notissimis verbis, probat, Scripturae non repugnare, sed vel maxime convenire, Deum in omnibus linguis laudare. Ultimo ait Rom. Pont.: „si quis ex doctoribus vobis destinatis et ex discipulis eorum aures a veritate avertentibus, ausus fuerit, aliter persuadere vobis, vituperans litteras linguae vestrae, sit excommunicatus („da budet' otlučen")".

Postquam in *V. Meth.* relata est epistola sic legitur: „Excepit illum (Methodium) Kocel cum magno honore et iterum misit eum ad Apostolicum (Hadrianum II.) et viginti viros honestos, ut *illum ordinaret in episcopum in Pannonia*". Ergo secundum *V. Meth.* s. Methodius *iterum* debuit Romam petere, ut ordinaretur *„in episcopum"*, dum in epistola, quae, secundum eamdem V. Meth., scripta est ante hoc secundum iter Romanum (circ. 869) expressis verbis dicitur, quod s. Methodius sit consecratus *(consecrantes eum* intell. in episcopum). Ipsa narratio *V. Methodii* hoc loco (cap. 8.) est valde obscura et nescimus quid tenendum sit, quidve abiiciendum. Forsan haec

epistola postea (i. e. non ab auctore V. Meth.) *Legendae* inserta est?[1])

Visis omnibus, quae de hac epistola a diversis auctoribus prolata sunt, magis adhaerere cogimur *sententiae negativae,* i. e. *epistolam non esse authenticam,* quia omnibus, quae contra eius authentiam obiiciuntur impossibile est satisfacere; et ideo hanc epistolam Hadriani II. ut *dubiam* et *suspectam* consideramus. Eius originem declarare non possumus: An sit *imitatio* epistolae Joannis VIII. (an. 880.), vel *falsificatio* alicuius discipuli s. Methodii (ut vult Goetz), an demum authenticum documentum Curiae Romanae. Documenta quippe desunt, ut iudicium *certum* formare possimus[2]).

b) Epistola Joannis Papae VIII. ad Svatoplukum, Moravorum principem (an. 880.):

„*Dilecto filio Sfentopulcho glorioso comiti.* Industriae tuae notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio reverendissimo archiepiscopo sanctae ecclesiae Marabensis, una cum Semisisno, fideli tuo, ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli, nostramque pontificalem praesentiam veniente, atque sermone lucifluo referente, didicimus tuae devotionis sinceritatem et totius populi tui desiderium, quod circa Sedem apostol et nostram paternitatem habetis. Nam, divina gratia inspirante, contemptis aliis seculi huius principibus b. Petrum apostolici ordinis principem vicariumque illius habere patronum et in omnibus adiutorem ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis et cum omni populo terrae tuae amore fidelissimo elegisti; et usque ad finem, sub ipsius et vicarii eius defensione colla summittens, pio affectu cupis, auxiliante Domino, utpote filius devotissimus, permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua et populi tui, apostolatus nostri ulnis extensis te quasi unicum filium amore ingenti amplectimur; et cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostrae gremio, veluti oves Domini nobis commissas, recipimus,

---

[1]) Cfr. Franko Iv. „Beiträge zur Quellenkritik der cyrillo-methodianischen Legenden“ (In „*Archiv f. sl. Philol.*“ XXVIII., p. 240—41).

[2]) Auctores principaliores, qui de hac epistola tractant, sunt: Jagić, o. c. I., p. 21—23; Rački, „Je li podmetnuta poslanica Hadr. II. na Kocelja i Rostislava, što se nalazi u panonsk. legendi“ (In „*Arkiv za povj. jugosl.*“ IV., p. 284—304); Rattinger in „*Stimmen aus Maria-Laach*“ XXII., p. 168. Et auctores, quos in decursu huius discussionis citavimus.

vitaeque pabulo clementer nutrire optamus atque nostris assiduis precibus omnipotenti te Domino commendare studemus: quatenus SS. Apostolorum suffragantibus meritis, et in hoc seculo adversa omnia superare, et in coelesti postmodum regione, cum Christo Deo nostro valeas triumphare. *Igitur hunc Methodium, venerabilem archiepiscopum vestrum, interrogavimus coram positis fratribus nostris episcopis, si orthodoxae fidei Symbolum ita crederet, et inter sacra Missarum sollem(p)nia caneret, sicuti S. Rom. Ecclesiam tenere, et in sanctis sex universalibus synodis, a SS. Patribus, secundum evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem, promulgatum atque traditum constat.* Ille autem professus est, se iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, sicuti s. Rom. Ecclesia docet, et a Patribus traditum est, tenere et psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reventia, laetaque mente recipiatis iubemus, quia nostrae apostolicae auctoritatis praecepto eius archiepiscopatus ei privilegium confirmavimus, et in perpetuum, Deo iuvante, firmum manere statuimus; sicuti antecessorum nostrorum auctoritate omnium ecclesiarum Dei iura et privilegia statuta et firmata consistunt, ita sane, ut iuxta canonicam traditionem omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse et ea, velut Deo contemplante, dispenset. Nam populus Domini illi commissus est et pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipsum quoque presbiterum, nomine Wichin(g)um, quem nobis direxisti, electum episcopum consecravimus sanctae ecclesiae Nitrensis; quem suo archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti ss. canones docent, esse iubemus, et volumus, ut pariter cum ipsius archiepiscopi consensu et providentia et alterum nobis apto tempore utilem presbiterum vel diaconum dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in qua episcopalem curam noveris esse necessariam, ordinemus episcopum; ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis praefatus archiepiscopus vester, iuxta decretum apostolicum, per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent et possunt exsistere, postmodum valeat ordinare. Presbiteros vero, diaconos, seu cuiuscumque ordinis clericos, sive Sclavos, sive cuiuslibet gentis, qui intra provinciae tuae fines consistunt, praecipimus esse subiectos et obedientes in

omnibus iam dicto confratri nostro, archiepiscopo vestro, ut nihil omnino praeter eius conscientiam agant. Quod si contumaces et inobedientes exsistentes scandalum aliquod aut schisma facere praesumpserint, et post primam et secundam admonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis et finibus vestris auctoritate nostra praecipimus esse procul abiiciendos, secundum auctoritatem capitulorum, quae illi dedimus et vobis direximus. *Litteras denique Sclaviniscas a Constantino quondam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debite resonent, iure laudamus;* et in eadem lingua Christi Domini nostri preconia et opera enarrentur iubemus. Neque enim tribus tantum sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quae praecipit dicens: Laudate Dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi. Et apostoli repleti Spiritu Sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc et Paulus coelestis quoque tuba insonat monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epistola satis et manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei aedificemus. *Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat sive Missas in eadem Sclavinica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel Lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere aut alia horarum officia omnia psallere:* quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebraeam scilicet, Graecam et Latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrae vestrae *propter maiorem honorificentiam Evangelium Latine legatur* et *postmodum Sclavinica lingua* translatum in auribus populi, Latina verba non intelligentis, adnuntietur, sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi et iudicibus tuis *placet,* Missas Latina lingua magis audire, *praecipimus* ut Latine Missarum tibi sollemnia celebrentur. Data mense iunio, indictione XIII.“ [1]).

1. Authenticitatem huius epistolae primus in dubium vocavit Frid. Blumberger [2]), qui quatuor [3]) epistolas Joannis VIII.

---

[1]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 60 ss.; Migne, *Patrol. Lat.* tom. CXXVI. coll. 904—6.; Rački, *Viek i djelov.*, p. 337—339. Et alibi.

[2]) Cfr. „*Wiener Jahrbücher d. Literatur*“ (1824), Bd. XXVI., p. 211 ss.; Bd. XXXVII. (1827).

[3]) Illae quatuor epistolae asservantur in „*Autographo Regesto litterarum*

dubias proclamavit, sed cum Palacky et Pertz in *Vaticano Archivio* vetus manuscriptum invenerunt[1]), in quo dictae 4 epistolae recensitae sunt, Blumberger statim suam retractavit sententiam[2]). Deinde iterum an. 1855. de authentia Bullae Joan. VIII. anni 880., de qua modo quaestio est, caepit dubitare, quia quidam *Morini,* qui pro Boczek, editore *„Codicis diplomatici et epistolaris Moraviae",* omnes supra nominatas epistolas transcripsit excepta illa, quae sub Nr. 257. reperitur (i. e. anni 880.), ad Svatoplukum, Moraviae principem. Hac de causa Blumberger ab *Academia Vindobonensi* diligentiorem explorationem instituendam petivit[3]). Fr. Rački, qui tunc temporis Romae studiis incumbebat, illico affirmantem responsionem dedit, quod nempe reapse dicta epistola in *„Regestis Joannis VIII."* reperiatur, quamque in suo libro *„Viek i djelovanje"* de novo imprimendam dedit[4]). Sicque omne dubium Blumberger evanuit. Deinde ab omnibus historicis scriptoribus haec epistola ut authenticum documentum considerata est.

2. Anno 1892. Friedrich Joan.[5]) de authenticitate huius epistolae haesitantem se declaravit, propter sequentes rationes:

a) *Obj. „Auffällig* daran ist", ait ille, „dass, während Johann VIII. 879 nur von dem Gebrauche der lateinischen oder griechischen Sprache in der ganzen Kirche weiss, er 880 *plötzlich* ... von drei liturgischen Sprachen, der lateinischen, griechischen und hebräischen, spricht und aus den nämlichen 879 angeführten Bibelstellen nunmehr nicht nur die Erlaubtheit des Predigens, sondern auch der Feier der ganzen Liturgie in slavischer Sprache ableitet"[6]).

Resp. Ad haec non difficilis est responsio: Methodius anno 879. apud Rom. Pontificem accusatus erat, quod esset haereseos

---

apost. felicis recordationis Joannis papae VIII." sub NN. 201. 202, 257 et 278 (in „Tabulariis s. Romanae Ecclesiae"). Epistolas illas Blumberger in dubium vocavit, quas Joann. VIII. annis 879, 880 et 881 in Moraviam scripsit.

[1]) Scriptum fine saec. X. aut initio saec. XI., quod *e scriptura* facile deducitur. — Cfr. *„Arch. f. sl. Philol."*, XX., p. 132.

[2]) Cfr. Sitzgsberichte d. Wiener Akad. Philos-hist. Classe. Bd. XVII., p. 3 ss.: *„Bedürfnisse bezüglich der im vaticanischen Archive befindlichen Handschrift".*

[3]) Ibidem.

[4]) Pag. 337—9.

[5]) Cfr. *Stzberichte* Münchener Akad. *Philos.-philol.-historische Cl.* (1892), p. 411 bis 412. Anm. 2.

[6]) Ibidem.

reus, et anno sequenti (880.) idem Methodius Romam petiit et suae orthodoxiae testimonium obtinuit[1]). De hoc nec *Friedrich* dubitat, cum dicit: *„Freilich war inzwischen Methodius nach Rom gekommen“*. Ergo illa *„subitanea“ („plötzlich“)* mutatio opinionis Joannis VIII. non est *„mira“ („auffällig“)* consideranda. Rom. Pontifex audiens rationes s. Methodii potuit mutare sententiam, et non tantummodo Latinam et Graecam linguas liturgicas declarare, sed adhuc hebraicam et omnes alias, ut ipse e verbis Psalmistae: *„Laudate Dominum omnes gentes“*, deducit[2]).

b) *Obj. „Dazu ist“*, inquit Friedr., *„in dem Schreiben Johanns* (an. 881. — Cfr. Ginzel, App. p. 62 s.), *in dem auf das Schreiben an Svatopluk* (de hac epist. nunc agimus) *und auf die Verhandlungen mit Methodius in Rom Bezug genommen wird, von der Gestattung der slav. Sprache in der Liturgie keine Rede“.*

Resp. Jagić V.[3]) ad hanc difficultatem adaequatam, ut putamus, dedit responsionem, quam nos simpliciter transcribimus nostramque facimus: „Doch kann ich darin, wie auch sonst in der *Nichterwähnung* dieser (i. e. linguae Slav. *liturg.)* im Jahre 880 ausgesprochenen Concession keinen Beweis gegen die Echtheilt des Schreibens erblicken — *Die Concession ist etwas, was man unter dem Stichwort tolerari posse nicht gerne erwähnte. Unstreitig* war der römischen Kirche eine solche gegen ihr Princip der Universalität gerichtete, wenn auch *den kirchlichen Dogmen durchaus nicht widerstrebende Concession* nicht sehr behaglich, *man sprach also von ihr am liebsten nicht, wo es nicht gerade nothwendig, war.* In der richtigen Verkündigung der

---

1) Cfr. Epist. Joannis VIII. ad Methodium (an. 881.) — Apud Ginzel, o. c., *Codex,* p. 62. De huius epistolae authentia nemó dubitat, nec ipse Goetz.

2) Aliquando etiam Rom. Pontifices primam sententiam mutabant in aliam ipsi oppositam (e. gr. propter: meliorem informationem, vel bonum pacis aut quid simile). Ita Innocentius III. scribebat: *„Iudicium Ecclesiae nonnumquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contigit et falli“;* et Pius V. ait: „Cum ob innumeras Romani Pontificis occupationes et *particularium rerum quarumlibet status ignorantiam, contingat ab eo quandoque litteras emanare, quae in magnum aliquorum praeiudicium redundare noscuntur, minime reprehendendum esse videtur,* si tandem *praeiudicio cognito* litteras huiusmodi etiamsi per eius praedecessorem, tamquam per inadvertentiam editas revocat, et limitat, *aliaque desuper disponit prout rerum* et *temporum qualitate pensata conspicit in Domino salubriter expedire“.* — Apud Rački, *„Je li podmet. posl. Hadr. II.“*, p. 288, 289.

3) Cfr. *Z. Entsthgschte*, I., p. 35.

Kirchenlehre war man strenge und unerbittlich, in solchen Fragen wie die Sprache der Liturgie ging man *opportunistisch* vor" [1]).

3. Principalis tamen impugnator authenticitatis huius documenti est L. K. Goetz [2]), qui huiusmodi argumentatur:

a) *Obj.* Est contradictio, ait ille, inter epistolas Joannis VIII. anni 879. et illam an. 880.

Resp. Contradictionem adesse inter has duas epistolas Joannis VIII., nemo umquam negavit, nec aliquis negare potest: in altera enim permittitur, quod in altera severissime prohibitum erat. Quare Joannes VIII. an. 880. mutavit sententiam, quam habuit 879., ad priorem obiectionem Friedrich respondentes satis sufficienter reposuimus. „Der Brief vom Jahre 879 war ja", ut optime ait R. Nachtigall [3]), „der *Berufungsbrief des Methodius nach Rom* [4]) und der vom Jahre 880 *nur die Folge der überzeugenden Vorstellungen des Methodius bei Johann VIII.*" Illa igitur contradictio non probat epistolam anni 880. non esse authenticam.

b) *Obj.* „Die *Fälschung* (ita Goetz appellat epist. Joannis VIII. an. 880.) ist eine *genaue Kopie* des Briefes Stephans' (VI) von 885." [5]).

Resp. Goetz gratis affirmat, quod epistola Joannis VIII. („Fälschung") sit *„genaue Kopie"* epistolae Stephani VI. In epistola Stephani, e. gr. per longum et latum de SS. Trinitate disseritur, de qua *ne unum* quidem verbum in epistola Joannis VIII. habetur! Deinde adhuc *longior* est expositio de *ieiunio* in eadem Stephani VI. epistola, dum in illa Joannis VIII. de ipso *nulla fit mentio!* Non potest ergo dici, quod Joannis VIII. epistola sit *„genaue Kopie"* epistolae Stephani VI.

Sed si epistola Joanni VIII. adscripta est opus alicuius discipuli s. Methodii, ut tenet Goetz, tunc quomodo potuit inserere consecrationem Wichingi, quae certe *„als kräftiges*

---

[1]) De hac epistola Joannis VIII. agit Friedrich etiam in *„Revue internationale de Théologie"*, 1896. p. 411 ss. De ipsa ait, quod sit: *„interpolirt wenn nicht ganz unecht"*. Hanc assertionem ibidem non probat!

[2]) Cfr. *Geschichte d. Slavenapostel,* p. 58–71.

[3]) Cfr. *„Archiv f. sl. Philol."* Bd. XX., p. 133.

[4]) Cfr. Epist. Joann. VIII. ad Svatoplukum et Methodium an. 879. — Apud Ginzel, o. c., *Codex,* pp. 58, 59.

[5]) O. c., p. 59 s.

Kampfmittel[1]) in dem Kampf gegen Wiching und um das *Weiterbestehen* des Werkes des Methodius" Gorazdo et caeteris s. Methodii discipulis necessaria non fuit? Goetzii responsio valde est notanda: „Was die Fälschung (i. e. ep. Joann. VIII.)", ait ille[2]), „da über Wiching, seine Stellung und über die weiteren Ordinationen von Bischöfen und Priestern sagt, *scheint mir die richtige Sachlage darzustellen und wird, ungeachtet der Brief gefälscht,* doch für die geschichtliche Darlegung zu verwenden sein. Denn die Angaben des *Fälschers* (sic!) stimmen zu der von den baierischen Bischöfen in ihrem Schreiben vom Jahre 900 an Johann IX. erhobenen Klage". Ad haec verba optime replicavit V. Jagić, qui ait[3]): „Also, Goetz wäre geneigt, die ganze angebliche Fälschung in Gnaden aufzunehmen, *wenn nur nicht von der Gutheissung der slavischen Liturgie darin die Rede wäre!*"

Hanc epistolam (ut iam diximus), secundum Goetz, composuerunt discipuli s. Methodii „in den Wirren, die nach des Methodius Tod ausbrachen im Lager der Methodianer, *als Kampfmittel gegen Wiching* und seinen Brief Stephans VI. (an. 885.)"[4]). Quam iniusta sit ista accusatio discipulorum s. Methodii e verbis epistolae ipsius planum fit: in epistola enim non tantum quid contra Wichingum dicitur, sed etiam in eius favorem: ipsum in episcopum fuisse consecratum, affirmatur: „Ipsum quoque", sic ibidem legimus, „presbiterum, nomine Wichingum, quem nobis direxistis, electum episcopum consecravimus sanctae ecclesiae Nitrensis"[5]). Illud, quod ibidem de Wichingo subiungitur: *„quem suo archiepiscopo in omnibus obedientem, sicut sancti canones docent, esse iubemus et volumus"* non potest ut in ipsum hostile considerari. Nec in aliquo alio loco huius epistolae contra Wichingum aliqua hostilitas occurrit. Demum, si in fine epistolae dicitur: „Et si tibi (Svatopluko) et iudicibus tuis *placet* missas Latina lingua magis audire, *praecipimus ut Latine tibi solemnia celebrentur*", „so ist das", animadvertit V. Jagić[6]), „eine solche *Anerkennung der lateinischen*

---

[1]) Eo fine, ait Goetz, Meth. discipuli hanc epistolam falsificaverunt. — Cfr. o. c., p. 65 s.

[2]) O. c. p. 62.

[3]) *Z. Entstgschte*, I., p. 35.

[4]) O. c p. 65.

[5]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 61.

[6]) Cfr. *Z. Entstgschte*, I., p. 35.

Sprache, dass die Gegner Wichings und vermeintlichen Fälscher *rein Dummköpfe gewesen waren,* wenn sie *aus eigenem Antriebe* diesen Passus in eine Fälschung aufgenommenen hätten".

Difficultates a Goetz propositas omnis valoris expertas persuasum habemus.

Nunc breviter examinabimus epistolam Joannis, deinde de ipsa nostram opinionem dabimus.

Praenotandum est, quod an. 879. Joannes VIII scripsit ad Methodium, archiepiscopum Pannoniensem, epistolam [1]), in qua ipsum Romam citat, ad reddendam rationem doctrinae suae et idiomatis Slavici in s. Missae celebratione usitati. Sanctus igitur Methodius Romam petere debuit, et reapse petiit, ut ex certo fonte historico, ex epistola nempe eiusdem Joannis VIII. anni 881. [2]) notum habemus. Rescriptum igitur Joannis VIII. (an. 880.) continere debet ea, quae Romae de s. Methodio, eius doctrina et de idiomate Slavico acta fuerunt. Nunc, quid in rescripto Joannis VIII., dato mense iunio, anni 880. de istis reperitur?

Rom. Pontifex imprimis, per modum introductionis commemorat, quod s. Methodius „una cum Semisisno, fideli (Svatopluki)", Romam venerint, atque ipsi retulerint Svatopluki „devotionis sinceritatem et totius populi desiderium, quod circa sedem apostolicam et nostram paternitatem" habent, qua propter ipsos *„ulnis extensis"* omnes amplectitur, ipsisque promittit se eos „assiduis precibus omnipotenti Domino" commendaturum. Deinde sic de Methodio ait: „Igitur hunc *Methodium,* venerabilem archiepiscopum vestrum, *interrogavimus* coram positis fratribus nostris (vestris?) episcopis, *si orthodoxae fidei symbolum ita crederet et inter sacra Missarum solem(p)nia caneret, sicuti s. Romanam Ecclesiam tenere ... constat ....* Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis orthodoxum . . esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reverentia ... recipiatis iubemus". S. Methodius, ut supra iam diximus, Romam vocatus est ad rationem reddendam *orthodoxiae*

[1]) Cfr. Ginzel, o. c., Codex, p. 58. Haec epist. ab omnibus ut authentica agnoscitur. Eodem tempore Joannes PP. VIII. scripsit et aliam epist. ad Svatoplukum eiusdem fere tenoris ac illa ad s. Meth. — Cfr. Ginzel, l. c., p. 59.

[2]) Apud Ginzel, l. c. p. 62.

suae, et hic a Rom. Pontifice „*orthodoxus*“ declaratur, quod iterum idem Rom. Pontifex sequenti anno (881.) ad ipsum scribens confirmat[1]). Haec ergo lucidissime pro authentia huius documenti loquuntur. Postea, in epistola sermo est de Wichingi consecratione episcopali, quam historicam esse admittit etiam Goetz et confirmatur epistola episcoporum Bavaricorum ad Joannem IX. scripta an. 900.[2]). Deinde postulat Joannes VIII. a Svatopluko, „*ut cum ipsius archiepiscopi* (scil. Methodii) *consensu* et *providentia* et *alterum* apto tempore *utilem presbiterum* vel *diaconum*“ ad eum dirigat, „quem similiter in alia ecclesia, in qua episcopalem curam noveris esse necessariam ordinemus episcopum“. Motivum huius ordinationis duorum episcoporum (Wichingi et illius, quem Joann. ordinandum postulat) statim indicatur: „ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis praefatus archiepiscopus vester (s. Meth.) iuxta decretum apostolicum per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent et possunt exsistere, postmodum valeat ordinare“. Nec hic aliquid suspectum habetur. Rom. Pontifex petit et alium presbyterum, in episcopum creandum, sed consensus utriusque, Methodii scilicet et Svatopluki, necessarius est. Futurus ergo episcopus debuit esse „*persona grata*“ cum Svatopluki tum s. Methodii, dum Wichingus fuerat solius Svatopluki, ut constat ex hac eadem epistola: „quem nobis *direxistis electum* episcopum consecravimus“. Demum omnes, cum presbyteri tum alii clerici, s. Methodio obsequium, ex voluntate Joannis VIII., debent, quod per se patet. Ultimo sermo est de usu idiomatis Slavici in sacris functionibus, quod (idioma Slav.) Joannes VIII. „*laudat*“, et S. Scripturae minime repugnare dicit; quia non „tribus tantum“, ait, „sed *omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur*“. Deinde id iisdem fere textibus S. Scripturae[3]), quibus Hadrianus II. usus est in epistola, quae ipsi attribuitur, probare conatur. — Hic notatu dignum esse existimamus *tonum* emphaticum, quo Joannes VIII. approbat usum Slavici idiomatis.

---

1) Cfr. Ginzel, l. c. p. 62.

2) Cfr. Ginzel, l. c. p. 70.

3) Ipse Joannes VIII. praecedenti anno (879.) iisdem fere verbis S. Scripturae usus est ad probandum, quod omni lingua sit permissum Evangelium praedicare. Et id confirmationi authenticitatis huius documenti inservire potest. Rationem, propter quam iisdem textibus S. Script. usi sunt Hadr. II. et Joannes VIII., alibi dedimus.

Apud Joannem approbatio fit cum quadam solemnitate, quae supponit discussiones de usu Slav. idiomatis fuisse et contradictiones: „Litteras denique Sclaviniscas", sic ibidem legimus, „a Constantino quondam philosopho repertas, quibus Deo laudes debite resonent, *iure laudamus* et in eadem lingua Christi Domini nostri preconia et opera ut enarrentur *iubemus*". Deinde parum inferius: „Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid *obstat* sive *Missas in eadem* (Slavica) *lingua canere,* sive sacrum Evangelium vel Lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti... legere aut alia horarum officia omnia psallere". Dum autem in epistola Hadriani II. hoc totum fit, quasi simplex *precum exauditio:* „ut *quemadmodum rogastis* edoceret vos libros in vestram linguam interpretans, plene cum omnibus ecclesiasticis officiis et s. Missa — sicut Constantinus Philosophus caepit Dei gratia". Modus loquendi utriusque epistolae facile explicatur: Hadrianus II.[1]) nullam ante se habuit prohibitionem aboliendam, dum contra Joannes VIII. *bis* eamdem linguam Slav. liturgicam prohibuerat (annis 873. et 879.). — Demum Joannes VIII. in sua epistola praecipit ut Evangelium primum Latine deinde Slavice legi debeat; et hoc: „propter maiorem honorificentiam". Svatopluko et iudicibus suis „*si placet*" totum divinum officium lingua Latina fieri praecipitur.

Nos, quamvis nullum dubium de authentia huius Joannis VIII. epistolae habeamus, attamen, quia in dubium vocata est, praeter illa, quae hucusque iam diximus, adhuc pauca dicemus, quibus nostram sententiam firmiorem reddere conabimur.

Nihil, ut supra praemonuimus, in hac epistola continetur, quod non possit e certis et indubiis fontibus historicis confirmari et tantummodo ista sola circumstantia aliquomodo sufficeret, ut non sine temeritate in dubium ipsa vocetur.

1. Authenticitas epist. Joannis VIII. anni 880. probatur adhuc aliâ epistolâ eiusdem Rom. Pontificis ad s. Methodium directa (diei 23. Martii, 881.)[2]), in qua *expressa* fit mentio alicuius epistolae, quam Joannes VIII. anno praecedenti ad Svatoplukum misit: „Verum auditis", scribebat Rom. Pontifex, „per tuas litteras *variis casibus,* vel *eventibus* tuis, quanta com-

[1]) Hic supponimus illum esse auctorem epistolae, quae eius nomen portat, quamvis certum non sit, ut iam diximus.

[2]) Apud Ginzel, l. c., p. 62 s.

passione tibi condoluerimus ex hoc advertere poteris, in quo *te coram nobis positum*[1]) *s. Romanae Ecclesiae doctrinam* iuxta ss. Patrum traditionem *sequi debere monuimus*, et *tam symbolum, quam rectam fidem a te docendam*, et *praedicandam subdimus, nostrisque apostolicis litteris glorioso principi Sphentopulcho, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus, et neque aliae litterae nostrae ad eum directae sunt*".

Omnia, quae Joannes VIII. se ad Svatoplukum scripsisse dicit, in disputata epistola reperiuntur:

a) Rom. Pontifex in utraque epistola affirmat s. Methodium Romae apud ipsum fuisse: „*quoniam confratre nostro Methodio*", aiebat Joannes VIII. ad Svatoplukum an. 880.[2]), „*ad limina ss. Apostolorum Petri et Pauli, nostramque pontificalem praesentiam veniente*... didicimus" etc. Hoc idem epist. an. 881. confirmatur cum dicitur: „*in quo te* (Meth.) *coram nobis positum s. Rom. Ecclesiae*" etc.

b) In hâc epist. (an. 881.) ad Methodium Joannes VIII. ait, quod ipsi praeceperit in epistola, quam Svatopluko („Sphentopulcho")[3]) scripsit: „s. Rom. Ecclesiae doctrinam iuxta SS. Patrum traditionem sequi debere — et tam *Symbolum*, quam *rectam fidem* — *docendam* et *praedicandam*" esse. In disputata epist. ad Svatoplukum („Sfentopulcho") haec omnia ad verbum continentur: Joannes Papa interrogavit s. Methodium „*coram positis fratribus — episcopis*, si orthodoxae fidei symbolum ita crederet... sicut s. Rom. Ecclesiam tenere et in ss. sex synodis.... promulgatum atque traditum constat. Ille (scil. Meth.) professus est, se iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam sicut s. Rom. Eccl. docet et a Patribus traditum est, tenere et psallere. Nos — illum in omnibus *eccles. doctrinis — orthodoxum esse reperientes*, vobis iterum... remisimus". Igitur omnia in utrâque epistola optime concordant[4]), et posterior (quae est *authentica)* prioris authentiam confirmat.

---

[1]) In disputata epist. Joannes VIII., de Methodio *ut praesenti* loquitur „*hunc Methodium interrogavimus coram positis fratribus*" etc.

[2]) Apud Ginzel, l. c., p. 60.

[3]) „Nostrisque apostol. litteris glorioso principi Sphentopulcho... hoc ipsum significavimus". Cfr. Ginzel, l. c., p. 63.

[4]) De istis omnibus ne unum quidem verbum in „*Epist. Steph. VI.*" reperitur, quod tamen expectaretur e sententia Goetz; quia Joannis VIII. epistola est: „*genaue Kopie*" illius Stephani VI.

2. Authentia epistolae Joannis VIII. (an. 880.) confirmatur etiam testimonio „*Epistolae Episcoporum Bavariensium ad Joannem IX.* (an. 900.), quae refert ordinationem Wichingi, hunc in modum: „Antecessor vester *Zuentibaldo* duce *impetrante* Vichingum consecravit episcopum; et nequaquam in illum antiquum Pataviensem (? Passaviensem) episcopatum eum transmisit, sed in quamdam *neophytam gentem*" etc. [1]). Ordinationem igitur Wichingi, ut aiunt episcopi Bavarici, *impetravit* Svatopluk („Zuentibaldus"), quem (Wichingum) Joannes (VIII.) in episcopum ordinavit „in quamdam neophytam gentem (i. e. Slavos)". Cum hac narratione omnino concordat epist. Joannis VIII. ad Svatoplukum (an. 880.) in qua legitur: „Ipsum presbiterum, nomine Vichingum, quem nobis direxistis (cfr. illud epp. Bavar. „Zuentibaldo *impetrante*"), electum epis. consecravimus s. ecclesiae Nitrensis (cfr. epist. epp. Bavar. „in quamdam neophytam gentem").

3. Pro confirmatione authentiae huius epistolae Joannis VIII. et totius nostrae discussionis coronide, sit factum, a nemine negandum, nempe, quod haec epistola in „*Autographo Regesto litterarum apostolicarum felicis recordationis Joannis papae VIII.*", sub Nr. 257., p. 99—100, inserta reperitur [2]).

Quisnam ipsam in „*Autographum regestum*" inseruit? — Nullus impugnatorum eius authenticitatis ad hanc quaestionem responsum aliquod dedit!

Visis igitur omnibus difficultatibus, quae contra hoc pontificium documentum a variis vitae s. Methodii scriptoribus allatae fuerunt et postquam ad difficultates propositas, ut nobis videtur, sat argumentorum apposuerimus, hanc epistolam ut *authenticam* tenemus et sine sufficienti ratione ab aliquibus in dubium vocatam esse putamus.

Iure ergo meritoque Fr. Pastrnek verba V. Jagić [3]) sua faciens dicere potuit: „*Der Inhalt des Briefes ist in der That derartig, dass Niemand an eine Fälschung denken würde, wenn in demselben nicht zugleich der Gebrauch der slavischen Sprache in der Liturgie gestattet worden wäre*" [4]).

[1]) Apud Ginzel, l. c. p. 70.

[2]) „Elle y (au Régistre du Vatican), ait Lapôtre, occupe le Nr. 257. La suscription, *en rouge*, est exactement cell-ci: „*Dilecto filio Sfentapulcho comiti*". — Cfr. L'Europe et le Saint-Siège, I., p. 125., n. 2.

[3]) Cfr. O. c., I. p. 37.

[4]) Cfr. „*Archiv für slav. Philologie*", Bd. XXIII, p. 247.

c) Epistola Stephani Papae VI. (V) *„Zuentopolco regi Sclauorum“* [1]).

„Stephanus episcopus seruus [2]) seruorum Dei. Zuentopolco regi Sclauorum. Quia te zelo fidei sanctorum apostolorum principi Petro uidelicet regni celestis clauigero, omni deuocione deuouisti, eiusque uicarium pre cunctis huius fluctiuagi seculi principibus principalem patronum elegisti, eiusque te cum primatibus ac reliquo terre populo tuicioni pariter commisisti: continuis precibus Deum bonorum omnium largitoremexoramus. ut ipsius muniaris suffragio, in cuius manu sunt omnia iura regnorum quatenus eius uallatus auxilio et interuencionibus apostolorum principum Petri et Pauli et adiabolicis muniaris insidiis. et corporali sospitate laeteris, ut anima et corpore tutus ab eterno iudice bonis operibus decoratus, perpetua felicitate doneris. Nos eciam, qui eius *uicariacione* fungimur, debitam solicitudinem prote gerentes, in quocumque indigueris negocio, in his, que ad salutem tuam pertinent Deo auxiliante protectorem inuenies inomnibus. Quem obfidei dignitatem cum omnibus tuis fidelibus. nulla terrarum obsistente inter capedine, spiritualibus ulnis quasi presentem amplectimur amore ut spiritualem filium. Igitur quia orthodoxe fidei anhelare te studio audiuimus, et certo iudicio exhoc agnoscimus, quod ad matrem tuam s. uidelicet Rom. *ae*cclesiam recurrere uoluisti, quae capud est omnium *ae*cclesiarum collato sibi priuilegio inbeato Petro principe apostolorum, cui suas oues uerus pastor commisit dicens: tu es Petrus et super hanc petram *e*dificabo *ae*cclesiam, et port*e* inferi non pr*e*ualebunt aduersus eam — portas inferi, ora orthodoxam fidem bas*fe*mancium appellans; q*ue* auctore Christo omnes hereses destruxit, et uacillantes omnes infide solida*u*it creatoris sui munita auxilio, dicente D. N. Jesu Christo: Simon ecce satanas expe*t*it uos ut cribraret sicut triticum. Ego autem roga*u*i prote ne deficiat fides tua et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quis rogo nisi isipiens in tantum audeat blasphemi*e* baratrum mergi ut Petri fidem infamet? pro quo Uerbum Dei induabus naturis existens, quod natura ser*u*i autem natura contulit deitatis. Tuam de*u*ocionem

---

[1]) Cfr. W. Wattenbach, *„Beiträge zur Geschichte d. christl. Kirche in Mähren und Böhmen“*. Wien, 1849, p. 43 ss. — Apud Ginzel, O. c., *Codex*, p. 63 ss.

[2]) Textum conservamus ut apud W. Wattenbach (l. c.) reperitur.

amplectimur, *u*olentem discere ut prudenciam tuam digna attollamus laude, quae non alibi *u*agari, sed ipsam, quae caput est studuit consulere, a qua eciam omnes ecclesiae sumpserunt exordium. *U*erum*p*tamen fundamentum fidei super quod suam Christus constituit *ae*cclesiam istud est: Tres certe person*e* subsistentes, Patris, et Filii et Spiritus S. coaetern*e* sibi sunt et co*e*quales, et istarum trium personarum una est *deitas* natura, una substancia, una di*u*initas, una maiestas. In quibus personis discrecio est non confusio, distinccio non separacio. Distinccionem dico quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S.; Pater enim a nullo, Filius a Patre, Spiritus S. ab utroque, unius eiusdemque substanciae cuius Pater et Filius est. Et hec s. Trinitas, unus, et *u*erus, Deus est, qu*e* nec inicio incipit, aut fine clauditur, nec loco comprehenditur, nec tempore *u*ariatur. Pater enim solus dealio non est, et ideo solus ingenitus appellatur, Filius autem de Patre sempiternus filius et ideo genitus dicitur, Spiritus uero Sanctus Patris et Filii est Spiritus sine ullo inter*u*allo, ubi nulla tempora quaeque habent prius *u*el posterius, sunt cogitanda: et ideo nec ingenitus, nec genitus, sed procedens dicitur, nec duo Patres nec duo filii credantur. Quod Filii sit Spiritus apostolus, et ine*u*angelista testatur: Si quis Spiritum Christi non habet hic non est eius; et Paulus apostolus quod Patris Filiique sit Spiritus testatur: *U*os autem non estis in carne, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in uobis. Et iterum ut Patris sit Spiritus, lucidissime distinguit dicens: Quod si Spiritus eius, qui suscitauit Jesum a mortuis habitat in *u*obis *uiu*ifica*u*it et mortalia corpora *u*estra. Ut *u*ero Filii sit Spiritus, idem Paulus testatur: Quoniam autem estis fiilii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem abba pater. Ut a patre procedat ipsa *u*eritas dicit: Spiritus qui a Patre procedit, ille me clarifica*u*it. Ut a Filio procedat eadem *u*veritas testatur: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Absit enim ut Spiritus S. credatur de Patre in Filium, et de Filio ad sanctificandam creaturam quasi quibusdam gradibus procedere, sedquem admodum de Patre, ita et de Filio simul procedit. Quis enim negabit esse Spiritum Sanctum *u*itam? et cui *u*ita Pater, *u*ita sit Filius; sicut Pater *u*itam habet insemet ipso, sic dedit et Filio uitam habere insemet ipso. Haec tibi demultis pauca dixisse sufficiant, quae te absque ambiguitate lingua confiteri et corde oportet credere sed nonultra *u*ires

examinare. Quia solis corporei radio oculorum retunditur intuitus, quanto magis ineffabilis deitatis claritate terrena mens retunditur. Hanc fidem a Domino inapostolos et apostolis fundatam sancta catholica et apostolica Romana tenet Ecclesia: quam tu ut firmiter teneas monemus, exoramus et testificamus. In qua et Wichingum *u*enerandum episcopum et carissimum confratrem *ae*cclesiastica doctrina eruditum repperimus, et ideo eum vobis adregendam sibi commissam a Deo *ae*cclesiam remisimus, quia fidelissimum eum tibi, et pro te satis solicitum in omnibus agno*u*imus. Quem *u*eluti spiritualem patrem, et proprium pastorem digno honore et debita re*u*erentia sincera mente recipite tenete et amplectimini, quia in eo exibitum honorem Christo conferitis, ipso dicente: Qui *u*os recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Ipse itaque omnium *ae*cclesiasticorum negociorum officiorum habeat curam et Dei timorem pre oculis habens dispenset eadem, quia et prohis et proanimabus commissi sibi populi ipse rediturus erit districto iudici racionem. Deieiunio itaque scias alege, proph*a*etis, et abipso Domino in Euangelio approbatum Moyses namque ut legem acciperet quadraginta diebus et noctibus ieiunavit. *H*aelias qui caelum orando clausit, ut non plueret annos tres et menses sex, et rursum orando aperuit, et caelum dedit plu*u*iam et terra dedit fructum suum, quadraginta diebus et noctibus ieunavit. Auctor et ipse legis Jesus Christus Dominus Noster quadraginta diebus et noctibus ieiunavit. Siquis *u*ero ieunium reprobat, reprobet et oracionem et blasphemet esse malum demones eiici, dicente Domino: Hoc genus non eiicitur nisi inoracione et ieiunio. Preceptum quippe est ieiunare, sedquibus diebus sit ieiunandum quibusue prandendum, precepto Domini *u*el apostolorum non est diffinitum assercione, sedantiqua patrum consuetudine tenet *ae*cclesia, quia et priorum instituta et consuetudo maiorum prolege tenenda sunt. Quarta feria ieiunandum est, quia considerato Euangelio quarta sabbati Judei consilium inierunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Sexta autem sabbati recte ieiunio deputatur, propter Dominice passionis re*u*erentiam. Sabbato quoque nihilonimus ieiunandum est propter renouandam memoriam rei geste, quia discipuli Dominum humane intelligentes eo die in sepulchro quiescentem doluerunt. Quintam *u*ero feriam quidam arbitrati sunt esse dissolutam quia eo die reconciliacio sit penitencium,

et eo die sanctum *cr*isma conficitur, et eo die Redemptor cum discipulis cenauit, et eis sacramentum sui Corporis et Sanguinis tradidit, eo die *u*identibus discipulis ad caelos ascendit. Dominicus certe dies propter resureccionis gloriam et ad*u*entum S. Spiritus laeticie consecratus est. Duos quiremanent, proprio uniuscuiusque relinquamus arbitrio; in quibus id obser*u*andum censeo utqui manducat nonmanducantem non spernat, et qui nonmanducat manducantem noniudicet, ut quicquid agimus, in gloria(m) Dei faciamus. Ieiunium scilicet quod quatuor temporum dicitur antiqui patres celebrandum nonfrustra sanxerunt, dicente psalmista: Benedicam Dominum inomni tempore, ut singulis quibusque temporibus anni humiliemus animam inieiunio. Primi itaque mensis ieiunium Dominus inexodo, quarti, septimi, et decimi ieiunium per Zachariam proph*a*etam celebrari pr*e*cepit, utqui omni tempore demisericordia confidamus p*e*nitendo. Haec tibi deieiunio pauca dixisse sufficiant, quamuis plurima dici possent eius m*i*steria que nunc exponere non est temporis. Hoc tamen ieiunium Deo pr*e*c*e*teris acceptabile credito: dissol*u*e colligaciones impietatis, sol*u*e fasciculos deprimentis, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Quod his adornandum est monilibus: Frange esurienti panem tuum et egenos *u*agosque induc indomum tuam. Has scias Deo acceptabiles lampades, quibus ieiunium adornandum est cotidie ut Deo sit placitum. Methodium namque supersticioni, non*e*dificacioni, contencioni nonpaci insistentem audientes plurimum mirati sumus; et si ita est ut audiuimus, supersticionem eius penitus abdicamus. Anathema *u*ero pro contemnenda catholica fide, qui indixit incaput redundabit eius. Tu autem et populus tuus s. Spiritus iudicio eritis innoxii, si tamen fidem quam Rom. praedicat *ae*cclesia tenueritis inuiolabiliter. Di*u*ina autem officia et sacra m*i*steria ac missarum solemnia que idem Methodius Scla*u*orum lingua celebrare pr*e*sumpsit, quod ne ulterius faceret supra sacratissimum b. Petri corpus iuramento firmauerat, sui periurii reatum perhorrescentes nullo modo deinceps aquolibet pr*e*sumatur. Dei namque nostraque apostolica auctoritate subanathematis *u*inculo interdicimus, excepto quod adsimplicis populi et nonintelligentis, aedificacionem attinet, si e*u*angelii *u*el apostoli exposicio aberuditis eadam lingua annuncietur, et largimur et exortamur, et ut frequentissime fiat monemus, ut omnis lingua laudet

Deum, et confiteatur ei. Contumaces autem et inobedientes, contencione et scandalo insistentes, postprimam et secundam admonicionem si se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab *ae*cclesie gremio abici sancimus, et neuna o*u*is mor*u*ida totum gregem contaminet nostro *u*igore refrenari et a*u*estris finibus procul excludi pr*e*cipimus".

Hanc epistolam W. Wattenbach in monasterio PP. Cisterciensium Stae. Crucis (Heiligenkreuz) anno 1847. invenit et primum in *„Beiträge zur Geschichte der christlichen Kirche in Mähren u. Böhmen"* [1]) imprimendam dedit. Wattenbach ipsam ut authenticam epistolam Stephani VI. credebat, quia sufficientia motiva non habuit, ut illam spuriam declararet. Possibile tamen esse putavit, quod haec epistola sit illa, de qua in litteris Joannis VIII. diei 23. martii 881. sermo habetur, quamque Wichingus sub nomine Joannis VIII. confecit [2]).

Ginzel [3]) authentiam huius epistolae impugnat sequentibus argumentis; quorum nos statim valorem, quem secundum nostram opinionem merentur, indicabimus:

a) *Obj.* In hac epistola, ait Ginzel, s. Methodii orthodoxia in dubium vocatur, quod est contra authenticum testimonium Joannis VIII. (an. 880. et 881.). Stephanus VI., qui illo tempore Romae morabatur, potuit de his (epistolis Joann. VIII.) certam habere notitiam. Quomodo ergo potuit orthodoxiam Methodii in dubium revocare?

Resp. Ad hanc difficultatem solvendam, mihi videtur, sufficere in memoriam revocare verba ipsius Stephani, qui addit ad accusationem: „si ita est, ut audivimus". Igitur non asserit simpliciter *ita est,* sed ipse de his, quae audivit dubitat. Probabiliter ipse Wichingus, ea ad Rom. Pontificem retulit, qui illo tempore Romae erat, ut ex hac epistola colligitur.

b) *Obj.* Slavicum idioma liturgicum, ait Ginzel, strictissime in hac epistola prohibetur, et s. Methodius periurii reus declaratur. Hoc Ginzel „omnino incredibile (vollkommen unglaublich)" videtur.

---

1) Wien, 1849, p. 43 ss

2) „Andererseits", ait Wattenbach, „finden wir schon in Joann's VIII. Briefe vom 23. März 881 eine Andeutung, dass Wiching sich gegen Methodius *untergeschobener* päpstlicher Schreiben bedient habe. *Wie wenn auch dieses einen solchen Ursprung hätte? Die Möglichkeit scheint mir nicht zu leugnen*". — *Beiträge*, p. 1.

3) Cfr. *„Slawenapostel, Einleitung*, p. 10 s.

Resp. Haec difficultas reapse magna est nec solutionem aliquam ipsi dare possumus. Hoc idem etiam in „*Commonitorio*“ fere iisdem verbis repetitur, ut postea videbitur.

c) *Obj.* Eodem modo incredibile est, ait Ginzel, quod Stephanus VI. omnino oppositam viam, viae Joannis VIII., relate ad quaestionem linguae Slavicae, prosecutus sit; quia temporibus utriusque Rom. Pontificis in Moravia eaedem politico-ecclesiasticae conditiones manserunt.

Resp. Quidquid sit de politico-ecclesiasticis conditionibus sub pontificatu cum Joannis VIII. tum Stephani VI., ex historia tamen notum habemus, quod Joannes VIII. approbavit linguam Slav. liturgicam et quod ipsam Stephanus VI. severissime prohibuit, quod constat e „*Commonitorio*“, de cuius authentia fas non est dubitare. Quare Stephanus VI. se contra usum Slav. idiomatis pronuntiaverit, id nobis ignotum est, fortasse in hoc secutus desiderium Wichingi, qui tunc temporis Romae fuit? Martynov putat prohibitionem a Stephano factam esse propter motiva magni momenti, quae nobis ignota sunt[1]).

Ginzel sententiam omnes scriptores vitae Methodii secuti sunt et hanc epistolam a Wichingo scriptam esse putabant, usque ad an. 1880., quando primum editae sunt epistolae sic dictae „*Collectionis Britannicae*“ — inter quas invenitur et „*Commonitorium* Dominico, episcopo, Joanni et Stephano presbyteris (? diaconis) euntibus ad Scalituos (Sclavos)“[2]). Impugnatores authenticitatis epistolae Stephani VI. statim mutaverunt sententiam et pro authentia eiusdem epistolae se declaraverunt, quia in „*Commonitorio*“ mentio fit de quadam epistola Stephani VI. ad Slavos. *Commonitorium* est fere eiusdem tenoris ac epistola. *Commonitorium* omni fide dignum est existimandum; quia est „*Ex Registro Stephani* (VI.)“ desumptum[3]), nec aliquis de eius authentia umquam dubitavit.

Tamen, quia quaedam desunt in *Commonitorio* (quod in fragmentis conservatum est), quae in epistola habentur, sequentia de ipsa dicenda esse putamus.

[1]) „Etienne VI. pouvait avoir des motifs d'un ordre supérieur pour agir de la sorte dans une question purement disciplinaire“. — Cfr. „*Revue des Quest. historiques*“ livr. 56, p. 390—391.

[2]) Cfr. „*Neues Archiv* V., p. 408 s.; *Starine* XII. p. 220 s.

[3]) Cfr. Lapôtre, o. c. I., p. 129, n. 4.

Haec epistola, ut iam diximus, reperta est a Wattenbach in monasterio Sanctae Crucis (Heiligenkreuz) in Austria Inferiori an. 1847. Undenam, quando et quomodo venit in illud monasterium nescitur. De illa Romae aut in aliquo alio loco nullum habetur vestigium. Absentia eius in *„Regestis Vaticanis“* certe non est sufficiens argumentum contra eius authentiam. Mihi videtur, non licere ex solo testimonio *Commonitorii* concludere *totam* epistolam esse *certe* authenticum documentum Sedis Romanae; quia non omnia, quae in ipsa habentur a *Commonitorio* confirmantur, et ex parte saltem potest esse *interpolata*.

Nunc videamus, quid in hac epistola Stephani VI. continetur.

Statim in initio Stephanus laudat Svatoplukum, quia s. Petrum et eius vicarium in patronos elegit. Ipsi deinde promittit suam protectionem et ipsum „continuis precibus Deo bonorum omnium largitori“ commendat. Postea breviter exponit primatum Eccl. Romanae super omnes alias ecclesias, quae simul est mater omnium ecclesiarum, quia s. Petrum apostolorum principem pro fundatore habet. Totum hoc, quod in initio epistolae habetur, invenitur, parum brevius, etiam in *Commonitorio*[1]). Deinde in epistola sermo est de mysterio SS. Trinitatis, ubi tota doctrina catholica de hoc Augustissimo mysterio, praesertim de processione Spiritus Sancti, continetur. Haec quoque pars epistolae (licet multo brevius) reperitur et in *Commonitorio*. Quare Stephanus VI. Svatopluko exponat doctrinam catholicam circa hoc mysterium, in epistola non dicitur, sed solummodo praecipitur Svatopluko omnia, quae ibidem docentur „absque ambiguitate lingua confiteri et corde credere, sed non ultra vires examinare“. Ad hanc doctrinam de SS. Trinitate in *Commonitorio* additur: „Si dixerint (scil. discipuli s. Methodii): Prohibitum est a SS. Patribus symbolo addere aliquid vel minuere, dicite (scil. legati Steph. VI.): S. Rom. Ecclesia custos est et confirmatrix ss. dogmatum“. Epistola ergo Stephani non contradicit *Commonitorio*, sed potius ab ipso completur.

Quibus dictis in epistola sermo est de Wichingo et eius missione ad Svatoplukum. Quae missio tantam praesefert

---

[1]) Similiter sed pulchrius et in epistola Joannis VIII. (880).

similitudinem cum missione s. Methodii, de qua loquitur epistola Joannis VIII. ad Svatoplukum (an. 880.), ut opportunum ducamus utramque missionem hic in duabus colunellis parallelis referre et sic facilius poterimus de utriusque similitudine iudicare:

Missio s. Methodii[1]:

„..hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum ..in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse reperientes vobis iterum ad regendam sibi commissam ecclesiam Dei remisimus.

Quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reverentia laetaque mente recipiatis iubemus".

Missio Wichingi[2]:

„..Wichingum venerabilem episcopum et carissimum confratrem ecclesiastica doctrina eruditum reperimus et ideo eum vobis ad regendam sibi commissam *a Deo* ecclesiam remisimus.

Quem veluti spiritualem patrem digno honore et debita reverentia sincera mente recipite, tenete et amplectimini".

Textus utriusque epistolae, Joannis VIII. et Stephani VI. (V.), tam similes sunt, ut necessario dependentiam unius ab altera cogitare debeamus. *Videtur,* quod Stephani epistola non sit aliud nisi pura imitatio epistolae Joannis VIII. Quod sic apparet:

1. Quia Wichingo necessarium non fuit testimonium sufficientis eruditionis in doctrina ecclesiastica; cum non ab ipso Stephano, sed a Joanne VIII. fuit in episcopum consecratus; Methodio vero necessarium fuit, ut a Joanne VIII. anno 880. orthodoxus declararetur, quia accusatus fuit apud eumdem Rom. Pontificem, quod „non ea, quae s. Rom. Ecclesia ab apostolorum principe didicit, ipse doceat"[3].

2. Epistola Joannis VIII. est omnino concisa et ex ipsa sua siccitate, ut ita dicam, se prodit documentum officiale, nec unum verbum superfluum in ipsa reperitur; dum vero in epistola Stephani VI. quaedam verba non necessaria esse videntur, e. gr. apud Joannem legitur simpliciter: *„venerabilem archiepiscopum"*, apud Stephanum additur: *„et carissimum confratrem"*. Methodius mittitur ad regendam *„ecclesiam Dei"*; Wichingus *ad regendam „sibi commissam a Deo, ecclesiam"*.

[1]) Cfr. Ginzel, o. c., p. 60 s.

[2]) Ginzel, o. c., p. 65 s.

[3]) Cfr. Ginzel, l. c., p. 58.

Deinde Joannes VIII. *praecipit*, ut Svatopluk Methodium recipiat *„digno honore et reverentia laetaque mente“*; in epistola autem Stephani VI. paululum mutatur: „digno honore et *debita* reverentia, *sincera* mente *recipite*, *tenete* et *amplectimini*“. Illa verba videntur esse adiuncta epistolae Stephani VI., ut facilius mutuatio dissimularetur? Fortassis haec de Wichingo ab eius asseclis epistolae Stephani VI. adiuncta sunt. In *Commonitorio* ne unum quidem verbum habetur de Wichingo, nec de eius missione ad Svatoplukum, quae circumstantia ad confirmandam nostram opinionem inservire potest!

Deinde Stephanus loquitur de ieiuniis ecclesiasticis, ad quorum praxin exhortatur Svatoplukum, „quia sunt Deo acceptabilia“. Ad hanc partem epistolae expressis verbis in *Commonitorio* remittitur his verbis: „De veneratione ieiuniorum firmiter tenete (scil. Svatopluk et eius subditi), *sicut in sua decrevit epistola* (hic loquuntur legati nomine Steph. VI.)“.

Nunc demum sermo est de s. Methodio: „Methodium namque superstitioni, non aedificationi, contentioni non paci insistentem audientes plurimum mirati sumus; *et si ita est, ut audivimus*, superstitionem eius penitus abdicamus. Anathema vero pro contemnenda catholica fide, qui indixit in caput redundabit eius“. Haec verba de s. Methodii orthodoxia directe contradicunt epistolae Joannis VIII. (diei 23. Mart. 881.), quae *certe authentica* est, et ut talis ab omnibus agnoscitur, in qua Methodius orthodoxus proclamatus est. Probabiliter haec contra *orthodoxiam* s. Methodii ad Stephanum PP. VI. a Wichingo fuerunt relata, quem Romae adfuisse haec epistola supponit. Vis verborum contra s. Methodii orthodoxiam certe minuitur per verba, quae immediate subsequuntur: *„si ita est, ut audivimus“*.

Ultimo loco agitur de interdictione usus Slavici idiomatis. De hac prohibitione nullum esse potest dubium; quia eadem lingua Slavica iisdem fere verbis prohibetur et in *Commonitorio* [1]).

Talis breviter est tenor epistolae Stephani VI., quae relate ad quaestionem idiomatis Slavici est in diametrali oppositione cum epistola Joannis VIII. (mensis iunii an. 880.). Quare Stephanus VI. prohibuerit usum idiomatis Slavici in s. Missa et in aliis ss. mysteriis valde difficile est indagatu. Maior tamen

---

[1]) Cap. XII. — Cfr. *Starine* XII., p. 220 s. *N. Archiv* V., p. 409—410.

difficultas est explicare quomodo potuerit Stephanus VI. asserere de s. Methodio, quod promiserit se in posterum numquam eadem Slavica lingua in ss. functionibus usurum, et quod hanc promissionem iuramento confirmaverit. V. Jagić iuramentum locum habuisse nullatenus admissibile credit: „Ich vermag", inquit, „an die Angabe, die hier (in *Commonitorio)* schwarz auf weiss steht; dass Method durch den Eid, den er ablegte, versprochen habe, die Messe *nicht slavisch* zu lesen, *auf keinen Fall* glauben. *Die ganze Existenz Methods,* die *ganze Popularität seiner apostolischen Wirksamkeit basirte ja auf der slavischen Liturgie... Methodius hielt",* prosequitur idem auctor, *„an der Anwendung der slavischen Sprache unerbittlich consequent. Das bildete den Eckstein seines Gebäudes,* das zwar in Mähren nach seinem Tode ins Wanken gerieth bald aber dafür mit neuer Macht an anderen Ecken und Enden des Slaventhums in seinem Stile neu erstand"[1]). Tenendum igitur esse videtur s. Methodium non promisisse — et consequenter promissionem non potuisse iuramento confirmare — se numquam Slavico idiomate in ss. Missae sacrificio usurum. Sed si Methodius non promisit et promissionem iuramento non confirmavit, tunc quomodo potuit Stephanus VI. haec de illo asserere? Lapôtre in longum et latum de hoc tractat et inde talia deducit[2]): Stephanus VI. usus est epistola a Wichingo anno 880. (881.?) fabricata *(certe* Wiching scripsit epistolam contra s. Meth., ut patet ex epist. Joannis VIII. ad Meth.[3]), quam deinde Stephanus VI. authenticam et genuinam credens in errorem ductus est. An ita revera res se habeat, ut Lapôtre opinatur, nescimus. Certe eius opinio probabilitatis notam habere videtur, sed tamen impossibile est illam probare, fontibus historicis deficientibus. Lapôtre solutionem V. Jagić[4]) ut possibilem saltem tenet; quia „so lässt sich", ait, „die Berufung auf das Verbot Johannes VIII. *einigermassen* erklären".

Breviter ita sentiendum est de authentia huius Stephani VI. epistolae: In omnibus et singulis partibus in quibus concordat cum *Commonitorio* ipsa tenenda est ut *certum* et *indubium* documentum. In illis autem partibus in quibus differt

---

[1]) *Z. Entstgschte,* I., p. 48—49.

[2]) Cfr. *L'Europe et le Saint-Siège,* I., p. 129—169.

[3]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex,* p. 62—3.

[4]) O. c., I., p. 48.

a *Commonitorio,* nec alio certo documento ea, quae affirmat possunt probari, tenenda est saltem ut *dubia.* Ita e. gr. quando sermo est de s. Methodio et eius orthodoxia, quae in hac epistola in dubium vocatur, videtur mihi, epistolam esse *interpolatam;* quia est in *evidenti contradictione* cum epistola Joannis VIII. (an. 881.), quae est *authentica.* Eodem modo illa de Wichingo videntur ab eius asseclis postea epistolae adiuncta; quia sunt in eius favorem et non possunt nec *Commonitorio* nec alio aliquo documento historico ut vera demonstrari, in se autem sunt parum probabilia.

II. Introductio et vicissitudines linguae Slavicae liturgicae in regno Moraviae (circ. an. 863.—885.).

1. Sanctos Constantinum (qui postea Cyrillus cognominatus est) et Methodium, fratres germanos, inventores esse litterarum Slavicarum et introductores idiomatis Slavici in s. liturgia, omnibus notum est. Hoc, quomodo evenit, hic paucis verbis dicemus.

In Moravia principatum tenebat Rostislaus (ab an. 840.)[1], qui tamen sub dominatione Ludovici II., Franconum regis erat, cuius iugum excutere Rostislaus semper in votis habuit. Missio Moravica tradita erat in manus cleri dioeceseos Passaviensis, qui ipsam totaliter dereliquit, ita, ut conventus Moguntinus (an. 852.)[2]) de *„rudi adhuc Christianitate gentis Maraensium"* loqueretur.

In politicis ergo et in ecclesiasticis rebus subiugata fuit Moravia, quod ferre non poterat Rostislaus, princeps, et auxilium aliunde quaerere coactus fuerat, ut patriam suam cum politice tum ecclesiastice emanciparet. Rostislaus eiectis e principatu suo presbyteris Bavaricis[3]) in eorum locum alios ab imperatore Constantinopolitano Michaele III. petivit, qui ipsi

---

[1]) Fines principatus Moravici difficile est designare, probabiliter occupabat hodiernam Moraviam, partem septentrionalem Hungariae, orientalem partem Bohemiae et Austriae. — Cfr. Jagić, o. c., I., p. 4.; Rački, *Viek i djelovanje,* p. 153.

[2]) Cfr. *Monum.* Germ. LL. Cap. Nr. 249, II., p. 189.

[3]) Cfr. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands,* II., p. 696 s.; Anm. 6.

misit ss. Cyrillum et Methodium[1]. Thessalonicae oriundos, qui Slavici idiomatis periti erant. Probabiliter ipse Rostislaus non designavit ss. Cyrillum et Methodium, sed Michael, imperator, qui Cyrilli industriam in conversione animarum ex missione ad Chazaros[2]) notam habuerat. SS. Fratres illico Moravicum iter aggressi sunt et aliquos sacrorum librorum in Slavicam linguam translatos secum tulerunt[3]). Quandonam s. Cyrillus, quem probabiliter s. Methodius adiuvabat, excogitavit characteres Slavicos, pro certo non possumus scire[4]). Hoc CPoli factum fuisse sequitur ex narratione *V. Methodii*[5]), sed aliud testimonium non adest. Cum ss. Fratres ad partes Moravorum pervenerunt (an. circ. 863.) magno cum gaudio a Rostislao cunctoque populo excepti sunt. Magna sane fuit laetitia Moravorum propter reliquias s. Clementis, quas secum ss. Cyrillus et Methodius acceperant. Maximum gaudium *libri sacri Slavico sermone* a SS. Fratribus conscripti in eis excitaverunt[6]). De rebus gestis a ss. Cyrillo et Methodio in Moravia primis annis ipsorum missionis, nihil fere traditum in fontibus gestorum habemus. „*Translatio s. Clementis*“ sequentia refert[7]): „Coeperunt (scil. ss. Fratres) itaque ad id quod venerant peragendum studiose insistere, et parvulos eorum litteras edocere, *officia ecclesiastica instruere*, et ad correptionem diversorum errorum, quos in populo illo repererant, falcem eloquiorum inducere; sicque abrasis et extir-

---

[1]) Ea, quae spectant ad historiam ss. Fratrum usque ad an. 873. (respective 879.) e *Vitis* nota habemus. Nos sequimur narrationem „*Translationis s. Clementis*“, quae, ut iam diximus, maximam omnium *Vitarum* (Legendarum) fidem meretur, quia est ab auctore noto et ss. Fratribus contemporaneo.

[2]) Chazaria sita erat in parte septentrionali Pontus Euxini. Chazari inhabitabant etiam peninsulam Chersonesum. — Cfr. Bartolini-Danilo, „*Sv. Ćirilo i Metod*“, p. 1 ss. Quando Cyrillus apud Chazaros erat s. *Clementis* (I. Rom. Pont.) reliquias invenit et secum CPolim, in Moraviam et postea Romum transtulit. — Cfr. Transl. s. Clem. Apud Ginzel, o. c., *Codex*, p. 5 ss.

[3]) „*Translat. s. Clem.*“, cap. 7.; „*V. Cyrilli*“, cap. 14.

[4]) Hanc quaestionem undequaque examinatam videre est apud Jagić V. „*Zur Entstehungsgeschichte*“, I, p. 7 ss., 19 s.; II, p. 48 s., 56 ss.

[5]) Cap. 5. „*Ibique* (CPoli) *manifestavit Deus Philosopho* (Cyrillo) *Slovenicas litteras*“.

[6]) Cfr. *Transl. s. Clement.*, cap. 7. SS. Fratres primum Evangelium s. Joannis in linguam Slav. verterunt. — Cfr. *V. Cyrilli*, cap. 14.

[7]) Cap. 7. In hoc puncto narratio „*Translat.*“ omni fide digna esse videtur; quia supra relatô testimoniô *Conventus Moguntini* (an. 852.), ex parte saltem, confirmatur.

patis de agro illo pestifero multifariis vitiorum sentibus, divini verbi gramina seminare" [1]).

An statim ab initio, ss. Fratres introduxerint linguam Slavicam in sacris officiis, ignoratur [2]). Ex narratione *„Translationis s. Clementis"* et *„Vitae s. Cyrilli"* videtur sequi, quod iam ab initio hoc factum fuerat [3]). Sancti Fratres in Moravia annos quatuor manserunt, antequam a Nicolao PP. I. Romam vocarentur [4]). Nicolaus I., qui tunc temporis magnas cum Photio, CPolitano patriarcha simultates habebat, eo animo probabiliter, ut ss. Fratres, origine sane Graecos, verum in terris Patriarchatui occidentali subiectis praedicantes, eidem Patriarchatui alligaret, illos Romam citavit. Voluntati Rom. Pontificis obsequentes ss. Fratres illico iter Romanum aggressi sunt.

2. In hoc itinere Romano ss. Cyrillus et Methodius apud Kocelum, Pannoniae principem per aliquod tempus commorati sunt, et eum linguae Slavicae liturgiae faventem reddiderunt [5]).

Nicolao I. interim vita functo successit ei Hadrianus II., qui ss. Fratres *„honorifice recepit"* [6]). Sed haec receptio *„honorifica"*, non tam ss. Cyrillo et Methodio, quam ossibus s. Clementis, ab Hadriano II. et populo Romano reddita est, ut textus *„Translationis"* [7]) clare indicat.

Nos tamen praecipue occupant libri Slavici et idioma Slavicum liturgicum. Quomodo nempe tum Rom. Pontifex,

---

[1]) Cum *„Translatione"* concordat et *„V. Cyrilli"*, cap. 15.

[2]) Hauck *(Kirchengschte Deutschl.* II., p. 698) affirmat: *„Die slawische Messe wurde überall eingeführt"*. Etiam epistola Hadriani II., de cuius authentia dubitatur, idem affirmat, cum dicit (loquendo de lingua Slav. in sacris adhibenda): *„sicuti Constantinus Philosophus gratia divina coeperat"*, sed s. Constantinus (Cyrillus) semel relicta Moravia, Romae morte praeventus, numquam in eam reversus est.

[3]) Si introducta tunc est lingua Slavica in sacris officiis et Missa, probabiliter non secundum *Romanum,* sed secundum *Graecum ritum,* introducta fuit. Verum, quia de ritu, quo usi sunt ss. Fratres in fontibus historicis nihil habetur; nos hanc quaestionem *intactam reliquimus.* Solummodo notamus, quod apud Chroatos hodie et a temporibus antiquissimis in usu est *lingua* vetus *Slavica* et ritus *Romanus.*

[4]) Transl. s. Cl. c. 8.; *V. Meth.*, c. 6.

[5]) Cfr. *„V. Cyrilli"*, cap. 15. Haec mora ss. Fratrum apud Kocelum a nemine in dubium vocatur. — Cfr. etiam *V. Meth.* cap. 8. Ea, quae refert *V. Cyrilli* (cap. 16.) de disputatione ss. Cyrilli et Methodii Venetiis, parum probabilia videntur.

[6]) *Legenda Italica*, cap. 9.

[7]) Cap. 9.

tum clerus et populus se gesserant erga libros sacros Slavico sermone conscriptos? Nullum aliud documentum habemus, quod de ipsis loquatur, nisi solum *Vitas* seu *Legendas*[1]). Quidnam in ipsis de opere ss. Fratrum narratur? Iam alibi diximus, quod *V. Meth.*, maximam omnium *Vitarum,* excepta *„Translatione s. Clem.“,* fidem meretur. Ideo eius[2]) narratio omnibus praeferenda est, quamvis nec ipsâ, ut *certo* fonte historico uti liceat.

Sancti Cyrillus et Methodius, qui Romae magno cum honore et pompa populi Romani recepti, suae missioni, cui se totos in servitium consecraverant, certe quam maius bonum potuerunt et protectionem Rom. Pontificis acquirere totis viribus satagebant. Imprimis ergo ipsorum curae esse debuit. idiomatis Slavici a Summo Pontifice confirmationem obtinere; cuique propterea confirmandam Librorum Sacrorum versionem Slavicam porrexerunt. Hadrianus II. ss. Fratribus favisse videtur, sed clerus in eius circuitu omni innovationi sese opponebat. De Hadriano II. dicitur in *„V. Methodii“*[3]): *„sanxit doctrinam amborum* (scil. Cyrill. et Meth.) *Evangelio Slavico in altari s. apostoli Petri posito“.* Ex hisce verbis *„V. Methodii“* non licet nisi confirmationem versionis *Librorum Sacrorum* deducere, sed nullatenus adhuc et *approbationem usus idiomatis Slavici in sacro Missae sacrificio.* Deinde sic prosequitur *V. s. Methodii:* „Erant autem (ibi) multi alii homines. qui *blasphemabant Slavicas litteras,* loquentes: dedecet ullum populum habere libros hos (h. e. sacros), nisi Hebraeos, Graecos et Latinos secundum titulum Pilati, quem in cruce Domini scripsit, quos Papa (Hadr. II.) *Pilaticos* asseclas et *trilingues* nominans damnavit“. Haec sunt certe *Legendarum* more relata: tamen sufficiens motivum non habemus, ut in dubium ipsa vocemus. Eodem modo narrat et *„V. Cyrilli“*[4]) sed habet adhuc: *„Liturgia lingua Slavica in* Ecclesia s. Petri *primum celebrata est,*

[1]) *„V. Methodii“*, cap. 6. ss.; *„V. Cyrilli“*, cap. 17.; *„Legenda Moravica“*, cap. 7.; *„Legenda Bulgarica“*, cap. 3.; *„Legenda Bohemica“*, cap. 4.; *Transl. s. Clem.*, nihil refert nisi honores reliquiis s. Clementis exhibitos; quem scopum ipsius auctor sibi proposuit.

[2]) *V. s. Cyrilli* (cap. 17.) per longum et latum de receptione ss. Fratrum Romae narrat, quae forsan aliquantulum exaggerata sunt; attamen in essentialibus non multum differt a *V. s. Methodii.*

[3]) Cap. 6.

[4]) Cap. 17.

deinde duobus aliis proxime sequentibus diebus in principalioribus Urbis ecclesiis, ac demum in Ecclesia s. Apostoli Pauli". Ergo secundum *V. Cyrilli, idioma Slavicum in liturgia,* s. Cyrillo adhuc vivente, confirmatum et in ipso Missae celebratae essent. Quantum veritatis sit in hisce *V. Cyrilli* verbis impossibile est cum certitudine asserere, sed *impossibile* tamen non videtur, quod iam hoc tempore (i. e. ante an. 870.) *usus Slavici idiomatis* confirmatus sit[1]). Forsan Rom. Pontifex concessit usum idiomatis Slavici in s. functionibus peragendis, ut ss. Fratres et cum ipsis totum principatum Moravicum, a Photio et eius schismate averteret et Romanae Ecclesiae fideles servaret?[2]) Friedrich et Goetz[3]) omnia, quae in *Translatione s. Clementis* non habentur, ut falsa reiiciunt, et ideo narrationem *VV. ss. Cyrilli et Methodii* de approbatione linguae Slavicae liturgicae reiiciunt, quia „*Translatio*" de illa nihil refert. Haec Friedrich-Goetziana methodus mihi erronea videtur: Quare in *Translatione s. Clementis* quaerendus est sermo de approbatione aut reprobatione idiomatis Slavici? Auctor „*Translationis s. Clementis*" sibi proposuit *solummodo* historiam translationis reliquiarum s. Clementis, quondam Rom. Pontificis, posteritati transmittere et non historiam linguae Slavicae. Ideoque si in „*Translatione*" de approbatione linguae Slavicae nihil dicitur, ex eo non possumus concludere, eam confirmatam non esse[4]). Assensum ergo verbis V. Jagić praebere liceat, qui ait[5]): „*Ich halte also auf Grund der beiden slavischen Legenden* (VV. Cyrill. et Meth.), *die an der griechischen „Vita Clementis"*[6]), *ihre Stütze finden, denen die Legenda Italica wenigstens nicht widerspricht, an*

---

[1]) Hauck (o. c., II, p. 699) asserit liturgicam linguam Slavicam concessam esse ss. Cyrillo et Methodio: „*Er* (Hadr. II.) *gewährte die Verwendung der slawischen Sprache im Gottesdienst*".

[2]) Illis temporibus Bulgari ex causis praesertim politicis Patriarhae CPolitano sese subiecerunt et dimissis sacerdotibus Latinis Theophylactum primum metropolitam ab Ignatio, CPolitano Patriarcha acceperunt. Sorte Bulgarorum edoctus Rom. Pontifex, precibus ss. Cyrilli et Methodii *forsitan* assensum praebuit, ut saltem Moravos sibi fideles conservaret. — Cfr. Rački, *Viek i djelovanje,* p. 257.

[3]) Friedrich, *Ein Brief Anast. biblioth.* etc. p. 411 ss.; Goetz, *Slavenapostel,* p. 91 et passim.

[4]) Cfr. Jagić, o. c., I, p. 15.

[5]) Ibidem, p. 16.

[6]) Cap. 3. — Apud Ginzel, l. c., p. 34 s.

der Thatsache fest, dass die slavische Liturgie unter Hadrian in Rom ehrende Anerkennung fand".

3. Dum adhuc s. Methodius, post mortem s. Cyrilli († 14. febr. 869.), Romae moraretur, misit Kocel nuntium ad Hadrianum Papam, „ut sibi cederet Methodium doctorem"[1]). De hac Koceli petitione non videtur esse dubitandum, cum aliunde iam notum habeamus, Cyrillum et Methodium et eorum discipulos, cum Romam peterent, optime acceptos fuisse in aula huius principis (an. circ. 866.—7.). Probabiliter Kocel volebat, ope s. Methodii fretus, ecclesiam sui principatus a iurisdictione archiepiscopi Salisburgensis emancipare, et sic independentiam politicam recuperare sperabat. S. Methodius illico remissus est ad Kocelum, qui ipsum „magno cum honore excepit, et iterum misit ad apostolicum (Hadr. II.) . . ., ut ipsum in episcopum ordinaret in Pannonia . . ., quod et factum est"[2]). Ergo post secundum iter Romanum (an. 870.) s. Methodius episcopus est consecratus. Hâc eâdem occasione secundum narrationem V. Methodii[3]), s. Methodius obtinuit celebrem illam epistolam Hadriani II. ad Rostislaum, Svatoplukum et Kocelum, de cuius authentia alibi[4]) sufficienter locuti sumus, quamque ut *dubiam* et *suspectam* ac *forsan imitationem* esse epistolae Joannis VIII. (an. 880.) declaravimus. Haec epistola sequenti modo de lingua Slavica in ss. officiis adhibenda loquitur: „*ut quemadmodum rogastis* (loquitur ad principes Slavicos de s. Methodio), *edoceret vos libros in linguam vestram intepretans secundum totum ecclesiasticum ordinem plene et cum sacra Missa et baptismo*". Hanc permissionem Hadrianus II. (si est auctor epistolae) verbis s. Scripturae probare conatur: „Laudate Dominum omnes gentes (Psl. CXVI, 1)" et „Omnes loquentur variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat loqui illis (Act. Apost. II, 11)". In usu linguae Slavicae in s. Missae sacrificio mos servandus praescribitur: „ut primum legatur Apostolus et Evangelium Latine, dein Slovenice"[5]).

---

[1]) *V. Methodii* cap. 8.

[2]) *V. Meth.* cap. 8.

[3]) Cap. 8.

[4]) Cfr. supra pag. 4 ss.

[5]) Similem normam dabit et Joannes VIII. anno 880., ut postea videbimus.

4. Iterum in Pannoniam reversus s. Methodius opus suum, h. e. evangelizationem Slavorum prosecutus est[1]). Paulo post a Bavaricis episcopis: Salisburgensi et Passaviensi in iudicium vocatus fuit, quia in eorum respectivis dioecesibus ministerium episcopale adimplebat. S. Methodius primum in iudicium, deinde in exilium „*in Suabos*“ tractus est[2]). In exilio *tres annos*[3]) permansit. Joannes VIII., statim ac nuntium accepit de incarceratione s. Methodii, Paulo, episcopo Anconitano dedit „*Instructionem*“[4]), in qua sequentia de s. Methodio leguntur: „*Ipse* (scil. Meth.) *tanto tempore credito sibi episcopatu inconcusso ac sine questione fruatur, quanto constat, illum vobis facientibus, eo fuisse privatum*“. Methodius ergo, prout ex hisce deducere licet, libertatem adeptus, statim ad suos convolavit Slavos, ibique *tribus annis* „credito sibi eposcopatu inconcusso“ fruebatur. Deinde de illo nullibi in fontibus, ante annum 879., sermo occurrit. Ex epistola Joannis VIII., dicto anno scripta, scimus, s. Methodio, eodem anno ac per Paulum, Anconitanum episcopum, libertatem recuperavit et ad suos reverti potuit, prohibitum fuisse, sacra Missarum solemnia in Slavica lingua celebrare[5]). Prohibitio haec linguae Slavicae per Joannem VIII. nullatenus in dubium vocari potest, quamvis in *Instructione* ad Paulum, Anconitanum episcopum, (quae est fragmentaria), de Slavica lingua nullus sermo habeatur. Notum nobis non est, quare Joannes VIII. anno 873. prohibuit usum linguae Slavicae in s. liturgia, quem, quatuor tantum ante annos, Hadrianus II., eius immediatus praedecessor, si non confirmavit, saltem *tolerasse* videtur.

Sed quomodo s. Methodius erga hanc Joannis VIII. prohibitionem se gessit? Prosecutusne est celebrationem ss. Mysteriorum in idiomate Slavico? De hoc non datur locus dubitandi, quia ad Methodium scribens Joannes VIII. (an. 879.) aiebat: „Audimus, quod *Missas cantes in barbara*, h. e. *in sclavina lingua.* Unde iam *litteris nostris,* per Paulum Ancon., *tibi*

---

[1]) Ubinam s. Methodius sedem habuerit metropoliticam, in fontibus non indicatur. Rački putat, quod fuerit sine sedis designatione h. e. „*episcopus regionarius*“. — Cfr. *Viek i djel.* p. 262—3.

[2]) Cfr. *V. Meth.* c. 9; Epistolas Joann. VIII. in „*Collectione Britannica*“, apud Ewald, *N. Archiv* V, p. 301 ss.; *Starine* XII, p. 213 ss.

[3]) Ibidem.

[4]) Cfr. *Neues Archiv* V, p. 302—3; *Starine* XII, p. 213 s.

[5]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 58.

directis[1]) *prohibuimus,* ne in ea lingua (h. e. „barbara“ = Slavica) sacra Missarum solemnia celebrares“ [2]). Ergo Joannes VIII. usum Slavici idiomatis vetuit, s. Methodius autem ulterius ipso uti prosecutus est. Hac eadem epistola s. Methodius a Joanne Papa Romam citatus est: „Unde his apostolatus nostri litteris“, scribebat Joannes VIII. ad Methodium, „tibi iubemus, ut omni occasione postposita, ad nos de presenti venire procures, ut... cognoscamus doctrinam tuam“ [3]).

5. S. Methodius illico Romanum iter aggressus est. Ipsi Svatopluk Semisisnum, quemdam ex aulicis suis, associavit. Romae s. Methodius in praesentia ipsius Joannis VIII. orthodoxus proclamatus[4]), et iterum in Moraviam cum potestate metropolitica remissus est. Eadem occasione et Wichingus in episcopum Nitriensem consecratus est, qui postea liturgicae linguae Slavicae multum nocuit. Porro Joannes Papa omnes s. Methodio „cum presbyteros, tum clericos“, subiectos et obedientes esse iussit atque praecepit. Tunc demum, subiungit solemnia illa verba, quibus suprema sua auctoritate apostolica idioma Slavicum inter linguas liturgicas connumerat: „*Litteras denique Sclaviniscas a Constantino* (Cyrillo) *quondam philosopho repertas, quibus Deo laudes debite resonent iure laudamus;* et in eadem lingua Christi Domini nostri preconia et opera ut enarrentur iubemus“. Probato primum e S. Scriptura „*non tribus tantum*“ [5]), sed omnibus linguis Dominum nos laudare posse et debere, subdit Joannes VIII.: „*Nec sanae fidei vel doctrinae*

[1]) Haec epist. Joann. VIII. ad s. Meth. deperdita est.

[2]) Ginzel, o. c., p. 58.

[3]) S. Methodius accusatus erat apud Joannem VIII. non tantum propter usum Slavici idiomatis, sed etiam propter aliquas res doctrinales, ut e. gr. eius orthodoxia de processione S. Spiritus in dubium erat vocata, deinde, in Symbolum non accepit formulam „*Filioque*“ etc. S. Methodii accusator fuit *Joannes presbyter* (de quo postea saepius sermo erit), ut colligere licet ex epist. Joan. ad VIII. ad Svatoplukum (diei 14. iulii 879.). — Apud Ginzel, o. c., p. 59.

[4]) „Methodium venerabilem archieppum. vestrum“, scribebat Joannes VIII. ad Svatoplukum (an. 880.), „interrogavimus coram positis fratribus nostris (vestris) episcopis si orthodoxae fidei symbolum ita crederet et inter sacra Missarum sollempnia caneret, sicuti s. Rom. Ecclesiam tenere... constat. Ille (Meth.) autem professus est, se iuxta evang. et apost. doctrinam, sicuti s. Romana Ecclesia docet, tenere et psallere“. — Cfr. Ginzel, o. c., p. 60—61.

[5]) I. e. Graeca, Latina et Hebraica.

aliquid obstat sive Missas in eadem Sclavinica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel Lectiones divinas N. et V. Testamenti bene translatas legere aut alia horarum officia omnia psallere: quoniam, qui fecit tres linguas principales, Hebraeam scilicet, Graecam et Latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam". Deinde Rom. Pontifex clausulam illam, quae etiam in epistola Hadriano II. adscripta legitur, repetit, nempe ut primum „Latine et postmodum Slavica lingua" Evangelium legi debeat. Ultimo Joannes exceptionem pro Svatopluko fecit dicens: „*Et si tibi et iudicibus tuis placet, Missas Latina lingua magis audire, praecipimus, ut Latine Missarum tibi solemnia celebrentur*"[1]).

6. His litteris munitus s. Methodius maiori gloria illustris ad Moravos reversus est. Ast minime quieverunt adversarii eius. Praesertim Wichingus, de quo Joannes VIII. in praecitata epistola aiebat: „quem suo archiepiscopo *in omnibus obedientem... esse iubemus et volumus*". Iste s. Methodio plurimas paravit molestias, imo ausus falsam litteram, sub nomine Joannis VIII. edere! Epistola a Wichingo fabricata deperdita est; de eius existentia tamen *certo* constat ex authentica epistola Joannis VIII. ad „*Methodium episcopum pro fide*"[2]). In hac epistola Rom. Pont. denuo defendit orthodoxiam s. Methodii, ipsumque consolatur: „Verum", inquit, „auditis per tuas litteras *variis casibus*, vel *eventibus tuis*[3]), quanta compassione tibi condoluerimus ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis positum s. Rom. Ecclesiae doctrinam... a te docendam et praedicandam subdimus, nostrisque apostol. litteris glorioso principi Sphentopulcho, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus. Deinde negat Joannes VIII. se Svatopluko aut Wichingo aliud aliquid scripsisse, cum dicit: „Neque aliae litterae nostrae ad eum (scil. Svatopl.) directae sunt[4]), neque episcopo illi[5]) palam vel secreto aliud faciendum iniunximus et aliud a te (Meth.)

[1]) Probabiliter ipse Svatopluk voluit, ut illi *Latine Missae* legerentur.

[2]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 62—63. Epistolam, quam Wichingus fabricavit plures putabant a Wattenbach in Monasterio „*Heiligenkreuz*" repertam esse. De Epistola, quam Wattenbach reperit, alibi sufficientia diximus.

[3]) „*Varii casus* et *eventus*" sunt illa omnia, quae contra s. Methodium ab adversariis prolata sunt.

[4]) Ergo Wichingus epistolam, quam fabricavit nomine Joannis VIII. „*ad Svatoplukum*" direxit.

[5]) Intelligitur Wichingus, quia nullus alius fuit episcopus in archidioecesi s. Methodii. — Cfr. epist. Joan. VIII. ad Svatoplukum an. 880.

peragendum decrevimus". Epistola igitur, quam Wichingus falsificavit, oppositi tenoris erat epistolae Joannis VIII. ad s. Methodium. Postremo in epistola s. Methodius et Wichingus Romam citati sunt. Utrum Romam petierint an non, non possumus scire, quia in fontibus de itinere nullum occurrit vestigium.

Interim et Joannes VIII., infatigabilis et constans s. Methodii defensor, die 15. decembris an. 882. e vita migravit. S. Methodius protectore orbatus [1]), vexationibus adversariorum, omnis generis, expositus remansit.

In monumentis fide indubia dignis de rebus a s. Methodio gestis nihil, post epistolam Joannis VIII. (23. martii an. 881.) traditum habemus. Demum memoratu dignum existimamus adhuc iter s. Methodii CPolim [2]), quod post mortem Joannis VIII., fidelissimi protectoris sui, aggressus est. Ergo circa an. 882.—885. De hoc itinere, quod est pro nobis magni momenti, in altera parte nostri operis, sermonem instituemus.

Mortem prope adesse praesentiens s. Methodius successorem sibi designavit nomine Gorazdum, „natione Moravum", virum probum et orthodoxum [3]). Ipse vero s. Methodius laboribus ac meritis plenus die 6. aprilis an. 885. coelos ascendit [4]).

6. Sub fine huius primae partis nostrae dissertationis breviter circa opus s. Methodii, quid acciderit, post eius mortem, adiungere iuvabit.

Aliquot tantummodo menses, post mortem s. Methodii, Hadriano Papae III. Stephanus VI. (V.) successerat [5]). Wichingus, acerrimus adversarius s. Methodii, cum suis asseclis sine intermissione discipulos eius persequebatur. Svatopluk omnia

---

[1]) Pulchre ait Dümmler: „An Johann verlor er (Meth.) seine festeste Stütze, und nach seinem Tode sollten... bald neue Stürme über die *slav. Kirche* hereinbrechen und ihre nationale Gestaltung gefärden. Diese grosssinig gefördert, *einen Mann wie Methodius seinem vollen Werte nach erkannt und gewürdigt zu haben, gereicht dem Papste jedenfalls zu bleibendem Nach ruhme*". — Cfr. *Ostfr. Reich*, III., 2., p. 198.

[2]) Cfr. *V. Meth.*, cap. 13.

[3]) Cfr. *V. Meth.*, cap. 17.; *Commonitorium* Stephani VI., cap. XIV. In *N. Archiv*, V, p. 410; *Starine* XII, p. 221.

[4]) Cfr. *V. Meth.*, cap. 17; Pro certo nescitur in quanam urbe mortuus est s. Methodius, nec scimus ubinam eius corpus requiescit. Communiter accipitur, quod *Velehradi* et mortuus et sepultus sit.

[5]) Joanni VIII. successerat Marinus (882—884), Marino Hadrianus III. (884—885).

ista aequo animo ferebat. Iterum interventus Romani Pontificis necessarius fuit. W. Wattenbach invenit (an. 1847.) quandam epistolam, quae nomen Stephani VI. portat, sed sine ulla temporis, diei et loci designatione, et in qua, lingua Slavica liturgica severe prohibetur. De eius authentia, quid sit tenendum, iam alibi exposuimus. Anno 1880. Bischof Edm. invenit in *„British Museum* (Londini)" *„Commonitorium Dominico episcopo, Joanni et Stephano,* (presbyteris) *euntibus ad Sclavos"* [1]), in quo iisdem fere verbis ac in epistola idioma Slavicum in s. Missa et in aliis ss. officiis usitatum severissime interdicitur: „Missas et sacratissima illa misteria", his verbis in *Commonitorio* vetitus est usus idiomatis Slavici [2]), „que Sclavorum lingua idem Methodius celebrare *presumpsit,* quamvis decessoris sui [3]) temporibus, domni videlicet Joannis sanctissimi Pape, *iuraverit,* se ea ulterius *non presumere,* apostolica auctoritate, ne aliquo modo *presumatur, penitus interdicit.* Verum tamen si aliquis Sclavorum lingua tam doctus invenitur, ut post sacratissimam evangelicam (et) apostolicam lectionem eius explicationem doctus sit dicere ad aedificationem eorum, qui non intelligunt, et laudat, si fiat, et concedit et approbat" [4]). Hic nihil possumus addere ad ea, quae diximus, agentes de epistola Stephani VI. [5]).

Wichingus et consortes apud Moravos memoriam s. Methodii delere omni conotu volebant. Primo loco lingua Slavica in liturgia extirpari radicitus debebat, contra quam media sine consideratione adhibebantur, testantibus *Commonitorio* et Epistola „Stephani Papae" VI.

---

[1]) *Neues Archiv,* V, p. 408—410; *Starine,* XII, p. 220 s.

[2]) Nos sequimur textum *Commonitorii,* quia de eius authentia nullum exstat dubium. In epistola autem his verbis idem usus linguae Slavicae prohibetur: „Diuina autem officia et sacra misteria ac Missarum solemnia, que idem Methodius Sclavorum lingua celebrare *presumpsit,* quod ne ulterius faceret supra sacratissimum b. Petri corpus *iuramento firmauerat, sui periurii reatum perhorrescentes* nullo modo deinceps aquolibet presumatur. Dei namque nostraque auctoritate sub*anathematis uinculo interdicimus,* excepto quod adsimplicis populi et nonintelligentis aedificacionem attinet, si euangelii uel apostoli exposicio aberuditis eadem lingua annuncietur, et largimur et exortamur, et ut frequentissime fiat monemus, ut omnis lingua laudet Deum, et confiteatur Ei". — Cfr. Ginzel, o. c., *Codex,* p. 67.

[3]) Hic loquuntur legati nomine Stephani PP. VI.

[4]) *Commonitorium,* c. XII. — Apud Ewald *Neues Archiv* V, p. 409—410; *Starine* XII, p. 220—221.

[5]) Cfr. supra I., *Epistolae* c, in fine.

Anno circiter 886. omnes sacerdotes a s. Methodio ordinati e finibus Moraviae, agente imprimis Wichingo, eiecti sunt[1]). Discipuli s. Methodii e Moravia pulsi in alias Slavicas regiones, praesertim in Bulgariam[2]) caeterasque Haemicae peninsulae provincias sese receperunt. Attamen statim post expulsionem discipulorum s. Methodii lingua Slavica liturgica non fuit extincta, sed, in monasteriis praecipue, adhuc aliquo tempore viguit[3]).

Initio saeculi X. florens quondam regnum Moravorum irruptione Hungarorum collapsum est. Anno 973., quo episcopatus Pragensis pro Bohemia erectus est, ne vestigia quidem episcopatus s. Methodii amplius reperiebantur[4]).

---

1) Cfr. *V. s. Clementis*, cap. 7.

2) Ibidem.

3) Cfr. Jagić, o. c., I, p. 52—53, 54 et passim.

4) Cfr. Zeibert, *Comped. hist. eccles.*, p. 232.

Pars secunda.

I. De populo et principibus Chroaticis in relationibus ad Rom. Pontifices ac imperatores CPolitanos nec non ad reges Franconum, eorumque interna organisatione ecclesiastico-politica, in secunda dimidia parte saeculi noni.

Nostri propositi non est, singula quaeque ad hanc quaestionem spectantia perpendere, sed brevibus adnotationibus illa solummodo commemorare, quibus credimus quaestionem, quae nos praecipue praeoccupat, facilius intelligibilem reddi posse. Paragrapho praesenti relationes Chroatorum ad utramque, h. e. occidentalem et orientalem ecclesiam, quantum nobis documenta conservata suppeditare possunt argumenta, declarabimus. Antea tamen praemittimus nos *in hac eadem sectione* semper facta persequi, prout illa in conservatis *monumentis* reperiuntur et interim ab omnibus *coniecturalibus conclusionibus deductionibusque*[1]) omnino abstinere.

Cum Chroati in partes Illyrici occidentalis[2]) advenerunt, urbes plus minusve in ruinas iam redactae fuerunt, mores tamen culturam, habitatores ac praesertim Ecclesiae hierarchicam organisationem, ab apostolicis temporibus[3]) originem suam ducentem, repererunt. Sedes metropolitana Salonae exstabat[4]).

---

[1]) Talia videre est apud Gfrörer-Weiss, *Byzantinische Geschichten*, II, p. 43—212.

[2]) Chroati inhabitant hodiernas provincias Illyrici occidentalis: Chroatiam, Slavoniam, Dalmatiam, Bosniam et Hercegovinam et orientalem partem Histriae.

[3]) Cfr. Zeiller J., „*Les origines chrétiennes en Dalmatie*, p. 1 ss.

[4]) Pars meridionalis Dalmatiae, „*Praevalis*" dicta, saeculo IV. a iurisdictione Salonitanae ecclesiae divulsa est et proprium metropolitam habuit, Scodrae residentem. — Cfr. Rački, *Viek i djelovanje*, p. 53; Jireček, *Die Romanen in den Städten Dalmatiens während des Mittelalters*, I, pag. 46; Rački, *Documenta hist. Chroaticae periodum antiquam illustrantia*, p. 262.

Saeculo VI. episcopus Salonae residens „*archiepiscopus sanctae ecclesiae Salonitanae*“ appellabatur[1]). Dalmatia a Chroatis semel inhabitata, Salona funditus eversa est. Habitatores destructae civitatis refugium in haud longe a Salona sita Spalati civitate quaerebant. Eo et sedes archiepiscopalis translata est, *cum omnibus iuribus ac archiepiscopalibus privilegiis, quibus quondam archiepiscopus Salonitanus gaudebat.* Archiepiscopus Spalatensis posterioribus etiam saeculis „*archiepiscopus s. Salonitanae ecclesiae*“ nominabatur[2]). Temporibus ducum ac principum Chroaticorum eadem *iura* et *privilegia* ecclesiae Salonitanae dabantur. Veterrimum monumentum historicum Trpimiri, ducis Chroatorum (an. 852., 4. mart.), de Salonitana ecclesia habet: „quae est metropolis usque ripam Danubii et *pene* per totum regnum Chroatorum“, illamque „*matrem ecclesiam*“ appellat[3]). Trpimirus ergo dicit ecclesiam Salonitanam esse matrem ecclesiam et episcopum Salonitanum metropolitam totius „*pene*“ regni Chroatorum. Tota Dalmatia non erat sub potestate principum Chroaticorum, sed gubernatores ab imperatoribus CPolitanis instituebantur, quod et administrationem ecclesiasticam illarum partium difficilem reddebat; metropolita in aliena ditione degente[4]). Petrus I. Cresimir (circ. 1058.—1073.), Chroatorum rex, totam Dalmatiam suae potestati subiecit, sicque administrationem facilitavit etiam ecclesiasticam. Dualismus politico-ecclesiasticus in Dalmatia si non totalis, saltem praecipua causa, ut credimus, fuit introductionis linguae Slavicae liturgicae in regno Chroatico, quod e sequentibus clarius patebit.

Regiones a Chroatis occupatae, i. e. Dalmatia et Pannonia (Savia) numquam a Veteri-Roma divulsae erant. Cum imperium

---

[1]) Nomen ultimi episcopi Salonitani est „*Maximinus*“. — Cfr. Rački, *Documenta,* p. 262.

[2]) Cfr. Rački, *Nutarnje stanje Hrvatske prije XII. stolj.,* II. *Crkva hrvatska.* — Cfr. *Rad jugosl. akad.,* knj. LXXIX, p. 136—37.

[3]) Cfr. *Documenta,* p. 4. Verbum „pene“ indicare videtur adhuc fuisse partes principatus Trpimiri, in quibus christianismus *nondum* fuit receptus. Forsan Narantani intelligendi sunt?

[4]) »Θέμα Δελματίας« dependebat ab imperat. CPolitanis et comprehendebat insulas in sinu *Flanatico:* Curicum (Vecla, Veglia, chroat. Krk) cum urbe eiusdem nominis, Crexa (Crepsa, ital. Cherso, chroat. Cres), Arba (Rab), Jadera (Zara, Zadar), Tragurium (Traú, Trogir), Spalatum (Spalato, Split), Ragusium (vetus Epidaurum, Dubrovnik), Decadera (Cattaro, Kotor). — Cfr. Jireček, o. c., I, p. 59.

Romanum in duas divideretur partes, Illyricum occidentale Veteri-Romae annexum erat[1]). Conversionem ad Christianismum Chroati debent Romanae ecclesiae, ex relatione ipsius Porphyrogeneti Constantini, qui scribit: „Heraclius autem Imperator Roma (Veteri) per legatum sacerdotibus accersitis... Chroatos baptizavit“ [2]). Joannes Papa IV. „*natione Dalmata*“ misit quemdam Martinum „sanctissimum et fidellissimum abbatem“ in totam Dalmatiam[3]). Primus quoque archiepiscopus Spalatensis est Italus, Joannes Ravennatensis[4]). Leo III., imperator CPolitanus (716.—741.) provincias Illyrici orientalis patriarchatui Novae-Romae adiunxit. Sic ad fines usque Dalmatiae, tunc iam Chroaticae, CPolitani patriarchae iurisdictio pertingebat. Sequenti tantum saeculo in civitate principe imperii orientalis conatum est, et hanc provinciam potestati CPolitani patriarchae subdere. Ad talem conatum quodammodo cogebat renovatio Imperii occidentalis: cum nempe Leo III. Rom. Pontifex Carolum Magnum, regem Franconum, imperatorem occidentis coronaverit (800.), huiusque regis occupationibus in Italia et speciatim in parte occidentali Haemicae peninsulae, relationes inter utrumque Imperium magis ac magis hostiles efficiebantur. Licet conventio inter utrumque imperium facta fuerit (an. 812.), secundum quam gubernator (στρατηγός) in sic dicto: »Θέμα Δελματίας« (h. e. Dalmatia Byzantina) institui debebat cum immediata dependentia a CPolitano imperatore, Chroatorum tamen duces aut *nullam* aut *nominalem* tantum subordinationem erga imperatores Byzantinos agnoscebant. Basilius I., qui successit Theophilo ac Michaëli III., quorum primae curae fuerunt passionibus suis indulgere, pristinum splendorem sedi suae recuperare omnibus viribus sategit. Jam in ingressu sui regiminis occasio illi praebebatur, ut *ius suum* in Dalmatia restauraret, cum nempe Saraceni Italiam meridionalem urbesque Dalmaticas devastare coeperunt. Chroati se tunc coactos videntes,

---

[1]) Jireček (o. c., I, p. 17) sic fines designat: „*Die Grenze zwischen beiden Reichshälften zog sich durch die Gebirge von Golf von Cattaro bis westlich von Belgrad*“.

[2]) „*De administrando Imperio*“, cap. 31. — Apud Rački, *Documenta*, p. 291, Nr. 4.

[3]) *Documenta*, p. 277.

[4]) Secundum Duchesne L. hic Joannes Ravennatensis est idem ac Joannes X. Rom. Pontifex. — Cfr. „*Le provincial romain au XII. siècle*“, page 106. (In „*Mélanges d'archéologie et d'histoire*“. XXIV. année).

auxilium CPoli quaerere decreverunt, quod Basilius I. et praebuit, *suum ius* et *protectionem* in has *alienatas* provincias sperans se renovare posse [1]).

Constantinus Ponphyrogenetus scribit, Chroatos ipsisque proximos Serblos ad „piissimum" imperatorem Basilium misisse nuntios, „ut, qui ex ipsis baptizati nondum essent, baptizarentur, essentque veluti ab origine, imperio Romano (CPolitano) subiecti. Horum precibus auditis beatus ille praeclarusque imperator *caesarium* (»βασιλικόν«) una cum sacerdotibus misit, omnesque illos, qui in praedictis gentibus nondum baptizati erant, baptizavit" [2]). Haec conversio non ad Chroatos *Liburnicos* nec illos, qui inter *Titium* (Krka) et *Tilurium* (Cetina) sedebant referenda est, sed ad illos, qui Narantani (Pagani) audiunt, quorum sedes ad Narentam usque pertingebant. His adnumerandi sunt Zahlumi Dioclenses et Travuni. Ita magna pars populi Chroatici [3]) imperatori CPolitano eiusque patriarchae se subiecit. Tempore, quo Basilius I. ad gubernium evectus fuerat, in Chroatia regnabat Domogoj. Ipse ad occidentem (Rom. Pontif.) magis inclinavit, ut ex epistola Joannis VIII. colligere possumus, qui illum sic alloquitur: „Ad mentem reducimus, qualiter Graeca falsitas *Bulgarorum nobis iure pertinentem patriam* per Ignatium, quam nos recuperaveramus, occupare non timuit; *qui frequenter ob hoc excommunicatus,* non solum non quievit, verum etiam illuc quemdam schismaticum sub nomine archiepiscopi destinavit" [4]). E verbis Joannis VIII. videmus, illum magnam confidentiam reposuisse in principe Domogoj, aliter non dixisset ipsi: „*Graeca falsitas*". Omnes Chroati non fuerunt asseclae principis Domogoj: post mortem enim eius non filii eius, sed inimicissimi ipsi totique familiae eius thronum Chroaticum occuparunt. Sedeslav, Domagoj succesor „imperiali fultus praesidio", ut loquitur „Joannis Chronicon Venetum" [5]), „CPolim veniens, Sclavorum ducatum arripuit, filiosque Domogoj exilio trusit". Rationem, propter quam Chroati acces-

[1]) Cfr. Rački, *Documenta,* p. 369 - 370.

[2]) *De administr. imperio,* cap. 29. — Apud Rački, *Docum.,* p. 370—71.

[3]) Inter Chroatos et Serblos *nulla est differentia etnographica; et nomine solummodo* discernuntur.

[4]) Cfr. *Starine,* XII, p. 212; Prodan, *Borba, Prilog G,* p. 12—13.

[5]) *Documenta,* p. 373, Nr. 185.

serunt Basilio I. Dudik coniecisse videtur, cum dicit[1]: „Mag die treulose Gefangennahme des Mährenfürsten Rastiz durch die Deutschen (idem accidit et s. Methodio) und seinen mit diesen verbündeten Neffen Swatopluk im Jahre 870 diese stammverwandten Völker beunruhigt und zu engerem Anschlusse an Byzanz geneigt gemacht haben".

Basilius I. Chroatos ad Byzantium conversos conabatur, non politicae tantum sed et ecclesiasticae potestati subdere. Sed saecularis communicatio cleri Chroatici cum Rom. Pontifice effecit, ut propositum suum omni careret effectu. Certe Dalmatiam Byzantinam sub potestate Basilii I. videmus. Forsan Sedeslav, Chroatorum princeps utriusque partis favorem habere cupiebat. Hoc ex litteris Joannis VIII. deducere nos posse putamus: „Quia fama", ait Joannes VIII. ad Sedeslav, „tuae dilectionis atque bonitatis et religionis in Deum ad nos usque pervenit: confidenter gloriae tuae praecipimus, ut ... praesentem legatum ... salvum atque incolumen venire faciatis usque ad ... Michaëlem regem (Bulgarorum) etc.[2]. Talia non dicuntur nisi ad eos, cum quibus sunt optimae relationes. Hergenröther hac de re sic loquitur: „Sedeslavus hatte *keineswegs* alle Beziehungen zum römischen Stuhle abgebrochen"[3]. Quod relationes habuerit cum Byzantio iam diximus. Duae sunt ergo partes sive fractiones politicae apud Slavos Illyrici occidentalis exortae accessu ducis Sedeslav ad Basilium et eius patriarcham Photium.

Quot annos Chroati in unione cum Byzantio perseveraverint e documentis, quae ad nostram usque aetatem pervenerunt, nihil *certi* dici potest[4]. Chroati sub Branimir duce ad Rom. Pontificem reversi sunt. Idem Branimir seditione excitata et „interfecto Sedesclavo ipsius ducatum usurpavit"[5]. Branimir, ut consolidet sedem occupatam, ad Rom. Pontificem misit *Joannem presbyterum*[6], cum suis Theodosiique diaconi litteris. Hic Theodosius fuit neoelectus episcopus Nonensis, qui ecclesiam Chroaticam, distinctam ab illa Photianorum in

---

[1]) Apud Hergenröther, „*Photius*", II, p. 607, Anm. 29.

[2]) Cfr. *Documenta*, p. 7, Nr. 4.

[3]) *Photius*, II, p. 608.

[4]) Secundum Rački scissio inter Chroatos 15 circ. ann. duravit. — Cfr. „*Nutarnje stanje Hrvatske*" (*Rad*, LXXIX, p. 178).

[5]) *Documeuta*, p. 374, Nr. 187.

[6]) De isto *Joanne presbytero* postea fusius loquemur.

„Themate Dalmatico", obtinuit. Tenorem harum litterarum scimus e rescripto Joannis VIII.[1]). Branimir ipsi „fidelitatem et obedientiam" profitebatur. Theodosii etiam „litteris receptis atque perlectis", ait ad Theodosium Joannes VIII., „devotionis et fidei tuae sinceritatem, quam circa ecclesiam b. Petri apostoli et circa nostrum pontificium habes, luce clarius agnovimus"[2]).

Quam magni momenti fuerit haec Branimir et sui episcopi Theodosii reversio in oculis Rom. Pontificis, clare demonstrant epistolae Joannis VIII. ad Branimir, Theodosium populumque Chroaticum. Epistola Joannis VIII. ad Branimir, Chroatorum ducem sic est[3]): „quia, Deo favente, quasi dilectus filius s. Petro et nobis, qui per divinam gratiam vicem eius tenemus, fidelis in omnibus et obediens esse cupias et humiliter profiteris: tuae nobilitati dignas valde gratias his nostri apostolatus litteris agimus, paternoque amore utpote carissimum filium, ad gremium s. sedis apostolicae, matris tuae, de cuius videlicet purissimo fonte *patres tui* melliflua sanctae praedicationis potavere fluenta, *redeuntem* suscipimus et spiritualibus amplectimur ulnis, atque apostolica volumus benignitate fovere, ut gratiam et benedictionem ss. Petri et Pauli apostolorum principum et nostram super te habeas diffusam: a visibilibus et invisibilibus hostibus... salvus semper ac securus existas *optatamque de inimicis victoriam facilius possis habere"*. Inimici Branimir ducis fuerunt asseclae Sedeslav et fractionis Basilio et Photio faventis. Joannes VIII. Branimir benedictionem petitam „libenter" impertitur: „Nam in die Ascensionis Domini", sic ipse prosequitur, „inter sacra missarum solemnia super altare b. Petri apost. celebrantes elevatis sursum manibus *benediximus tibi et omni populo tuo,* omnique terrae tuae, ut hic et in aeternum corpore simul et anima salvatus et principatum terrenum, quem habes, prospere ac securiter regere possis, et in coelesti regione post mortem cum Deo feliciter gaudeas et in perpetuum regnes".

Hac eadem occasione Rom. Pontifex scripsit aliam epistolam ad *sacerdotes et populum Chroatiae*[4]); „Cum litteris prin-

---

1) *Documenta*, p. 12, Nr. 8.

2) Ibidem.

3) Cfr. *Documenta*, p. 8—9, Nr. 5. Nostram quaestionem spectantia solummodo citamus, aliis omissis.

4) Cfr. *Documenta*, p. 9—10, Nr. 6.

cipis vestri", aiebat Joannes VIII., „quas nobis per venerabilem *presbyterum Joannem* direxit, legeremus: non solum illius devotionem sed etiam fidei vestrae sinceritatem et dilectionem, quam circa s. Petrum apostolorum principem et circa nos habetis cognovimus. Et quia velut carissimi filii *ad s. Rom. Ecclesiam,* unde patres vestros melliflua sanctae praedicationis dogmata suscepisse agnoscitis, *toto animo totaque voluntate redire cupiatis,* nostram apost. gratiam et benedictionem habere magnopere desiderantes: *magna sumus repleti laetitia*". Similiter exhortatur illos ac Branimir. Epistolam ipsos benedicendo concludit.

Tertiam scripsit Joannes VIII. epistolam „Theodosio, venerabili diacono s. ecclesiae Nonensis"[1]). Initio epistolae gaudium et laetitiam exprimit propter eius adhaesionem ad Ecclesiam Romanam. Deinde sic prosequitur: „Nam et *Joannes,* venerabilis *presbyter,* de vestra parte veniens, multa nobis tuae bonitatis et patientiae viva voce praeconia retulit, quae in sacerdote Christi magnopere sunt habenda. Unde te, quasi dilectum corporis Christi membrum et spiritalem filium, nostri apostolatus ulnis extensis amplectimur, paternoque amore diligimus atque apostolica semper volumus benignitate fovere. Ideo monemus sagacitatem tuam, *ne in quamlibet partem aliam declines, et contra sacra venerabilium patrum instituta, episcopatus gratiam recipere quaeras...,* sed toto corde totaque voluntate ad gremium Sedis apostolicae, unde antecessores tui divinae legis dogmata melliflua cum sacrae institutionis forma summique sacerdotii honore sumpserunt, *redeas;* quatenus et ipse ab apostol. Sede, quae caput et magistra est omnium ecclesiarum Dei, *episcopalem consecrationem per nostrae manus impositionem* Christo annuente, *percipias;* quatenus secundum pristinum morem sancti Petri et nostra semper auctoritate atque tuitione munitus populum Domini tibi commissum strenue ac securiter regas".

Ex hisce litteris Joannis VIII. concludere debemus Chroatos maiori ex parte a patriarchatu occidentali ad Basilium I. et Photium. Patriarcham CPolitanum defecisse; quia illuc aliquis *reverti* dicitur, unde iam antea *decessit.*

[1]) Ibidem, p. 12, Nr. 8. Haec epistola „data" est non IV., sed XVII. die mensis iunii, ut hic Rački notat, quod etiam in *„Viek i djelovanje"* observavit, pag. 323.

Perlator harum litterarum fuit *Joannes presbyter,* qui adhuc aliam epistolam ad Boris-Michaëlem, Bulgarorum principem, habuit, in qua Joannes VIII. exhortatur ipsum, ut in gremium Rom. Ecclesiae revertatur; ipsi denique promittit se missurum legatos, si princeps illos recipere vellet. Haec omnia gesta sunt mediante *Joanne presbytero.*

Cum Romam de sedis Spalatensis vacatione fama esset perlata, Joannes VIII. Chroatos (Narantanos et illos in „Themate Byzantino") ad unionem cum Sede Petri revocandi occasionem arripuit; ipsis scripsit epistolam, quam ad omnes generatim direxit sive ecclesiasticos sive laicos [1]), ubi imprimis hortatur eos, ut „more maiorum" ad Sedem b. Petri apostoli reverti studeant... Reminisci debent, quanta prospera parentes ac praedecessores ipsorum comitabantur, quando cum Ecclesia Romana erant; ex quo ab Ecclesia Romana se separaverunt, omnia adversa et incommoda illis advenire coeperunt. Deinde ipsos ad Eccl. Romanae gremium venire monet atque hortatur. Neoelectus archiepiscopus Spalatensis ab ipso „pallium" et „gratiam episcopalis consecrationis more pristino" accipere debet. Haec, quae sequuntur nostram specialem merentur attentionem: „Porro si aliquid *de parte Graecorum vel Sclavorum* super vestra ad nos reversione vel consecratione aut de pallii perceptione *dubitatis:* Scitote *pro certo* quoniam nos, secundum ss. Patrum decessorumque nostrorum pontificum statuta, *vos adiuvare auctoritate curabimus*". E verbis „*de parte Graecorum vel Sclavorum*" etc., concludere debemus periculum aliquod imminens securitati Chroatorum Dalmatiae Byzantinae propter Photianos, adfuisse; proptereaque illis Rom. Pontifex suum promittit auxilium. — Hucusque *exhortatur* Joannes PP. VIII., ut Chroati ad ipsum revertantur, nunc autem, si voluntati eius obedire noluerint, minatur: „Quod si forte hanc nostram apostol. admonitionem, imo canonicam praeceptionem, pro nihilo ducentes ad sedem apost. Romanae Ecclesiae *redire* et inde secundum antiquam normam consecrationem episcopalem sacrumque pallium recipere contempseritis: omni ecclesiastica vos communione scitote penitus excommunicandos". Si contrarium fecerint, „quasi transgressores et inobedientes" sine

[1]) Cfr. *Documenta*, p. 10—11, Nr. 7.

dubio iudicabuntur. Cum hac epistola aliqua alia commisit Joannes VIII. *Joanni presbytero,* quae *„verbotenus"* referenda essent.

Chroati statim verbis Summi Pontificis aures praebuerunt. Theodosius enim paulo postea Romae Joannem VIII. adiit, ut ab ipso Pontifice episcopalem consecrationem accipiat. Theodosius denuo sui principis Branimir adhaesionem ac fidelitatem erga Sedem Romanam Pontifici retulit. Propter haec Joannes VIII. valde gavisus est. Ut principis et populi Chroatici fidelitas externo signo manifestetur „mandamus", ait Rom. Pontif., „ut revertente ad vos dilecto episcopo vestro idoneos legatos vestros *praesentialiter* ad nos dirigere *non praetermittatis,* qui pro parte omnium vestrum nos et Sedem apostol. certificent de his, quae mandastis, ut et nos missum nostrum dirigamus ad vos, quibus secundum morem et consuetudinem ecclesiae nostrae universus populus vester fidelitatem promittat". Joannes Papa VIII. monens ipsos, ut constanter permaneant, secundum illud: „melius est votum non vovere, quam post votum promissa non implere", concludit epistolam [1]).

Romanus Pontifex publicam ac solemnem reconciliationem Chroatorum cum Ecclesia Romana volebat, „ut sic iste eventus", dicebat Rački [2]), „animas CPoli, in Dalmatia et Bulgaria magis afficeret". Joannes VIII. quaestionem ecclesiasticam in Chroatia, Bulgaria et Moravia intime connexam pleno iure considerabat [3]).

Chroati, regnante Branimir, principe, monita S. Pontificis secuti sunt, prout e posterioribus documentis edocemur. De Chroatis Dalmatiae Byzantinae eorumque negotiis nihil in monumentis historicis traditum habemus. Certum solummodo est, Marinum in archiepiscopum Spalatensem electum fuisse. Incertum tamen est, undenam consecrationem et pallium acceperat [4]), an a Rom. Pontifice an aliunde. Melius edocti sumus de Theodosio, eius successore, qui antea fuit Nonensis et simul Chroatorum episcopus, et in sedem archiepiscopalem Spalatensem evectus, non a Romano Pontifice, sed a patriarcha

[1]) Cfr. *Documenta,* p. 13—14, Nr. 9.

[2]) Cfr. *Nutarnje stanje Hrvatske (Rad,* LXXIX, p. 176).

[3]) Idem, ibidem.

[4]) Cfr. Dümmler, *„Ueber die älteste Geschichte d. Slawen in Dalmatien",* p. 410; Hergenröther, *Photius,* II, p. 615.

Aquileiensi ratificationem suae electionis postulavit[1]). In Aquileiensi sede patriarchali sedebat Walbertus, qui fuit Photii sectator, et suae iurisdictioni subdere scivit totam peninsulam Histriam[2]). Post mortem archiepiscopi Marini Walbertus ius Ecclesiae Romanae usurpare ausus est, extendens suam iurisdictionem usque ad limites metropolis Spalatensis, in qua Theodosium archiepiscopum confirmavit. Huius usurpationis causa Stephanus VI. scripsit ad illum: „qui transgressis terminis tibi commissis in Ecclesia Spalatensi episcopum ordinare (i. e confirmare) ad indecentiam sedis apostolicae praesumpsisti; quod quantae praevaricationis sit, ipse perpende" [3]). Theodosium autem sic alloquebatur Sum. Pontifex: „quia in ipso tuae ordinationis initio *deliquisse te non modicum* audivimus. Nam cum pie memorie decessor tuus hominem excessisse dicitur, ad Aquilegensem diceris convolasse ecclesiam et exinde *consecrationem*[4]) suscepisse, quam in Sede b. Petri ab apostolicis debueras manibus petere, in quo et te *deviasse* et eum (Walbertum) *excessisse* luce patet clarius" [5]).

Sic ergo omnes conatus Joannis VIII., ut Dalmatiam Byzantinam Romanae Ecclesiae iterum adiungeret, effectu carebant omni. De eius successoribus: Marino et Hadriano III. nihil nobis relatum est. Demum sub Stephano VI. videtur rem in melius mutatam fuisse. Iste Sum. Pontifex sic Theodosium Nonensem alloquebatur: „Pallium et eius usum, quem cogitas, cum Dei misericordia cooperante ipse ad apostolorum limina veneris, consultius dabitur, ut multiplici benedictione locupletatus laetior ad propria redeas; quia ipsius usus non ad pompae fastus, sed ad religionis attinet ministerium" [6]). His voluit Stephanus Papa commovere Theodosium, ut facilius et promptius redeat ad pristinam erga patriarcham occidentis obedientiam et ut deserat Aquileiam ac Byzantium, qui ad benedictionem dandam omnino inepti declarantur, ut e sequentibus, ab ipso Sum. Pontifice positis, quaestionibus patet: „Quomodo ab eo bene-

[1]) Cfr. *Documenta*, p. 187, Nr. 148.

[2]) Cfr. Rački, „*Nutarnje stanje*" (*Rad*, LXXIX, p. 177).

[3]) Cfr. *Documenta*, p. 187, Nr. 148.

[4]) Hic non est intelligenda „*consecratio*", proprie dicta, sed potius „*introductio*" et „pallii acquisitio"; Theodosius iam dudum ex Joannis VIII. manibus *consecrationem* accepit. — Cfr. *Documenta*, p. 12, Nr. 8; p. 13, Nr. 9.

[5]) Cfr. *Starine*, XII, p. 219; *N. Archiv*, V, p. 402—3, Nr. 9.

[6]) Cfr. *Starine*, XII, p. 219; *N. Archiv*, V, p. 407, Nr. 29.

dictionem caperes, qui caret benedictione? Quomodo alteri tribuit quis, quo sibi carere dignoscitur?" [1])

Hoc est ultimum documentum, quod hanc, inter orientalem et occidentalem ecclesias, controversiam commemorat, quodque ad Chroaticas terras refertur. Caetera autem, hanc eandem quaestionem magis dilucidantia, modo desiderantur. Dissensio inter utramque ecclesiam, Branimir, Chroatorum duce adhuc inter vivos commorante, videtur esse composita [2]). Huic compositioni controversiarum multum iuvit Leo VI., imperator (886.—912.), qui Photium sede patriarchali privavit, qui propter varia crimina in monasterium inclusus ibique an. 891. vitam finivit. Itaque post mortem Photii pax inter orientalem et occidentalem ecclesias composita est. Saeculo XI., ut nota res est, sub patriarcha CPolitano Michaële Caerulario (1043.—1059.) iterum schisma resuscitatum est.

II. De sanctorum Cyrilli et Methodii ipsorumque discipulorum cum Slavis Illyrici occidentalis, h. e. Chroatis relationibus.

1. De relationibus sanctorum Cyrilli et Methodii cum Chroatis.

A. Sedulo notandum est, nullum *clarum* et *certum* documentum exstare, quod hanc quaestionem *directe* respiciat. Sed tamen dantur fontes, plus minusve fide digni, ex quibus deduci potest ss. Fratres, praesertim s. Methodium, Slavis Illyrici occidentalis Evangelium praedicasse. Tales fontes sunt: a) Quaestio de *„Montemir, duce Sclavinicae"* [3]), b) *„Excerptum e libello de conversione Carantanorum"* [4]), c) Narratio *Diocleatis* [5]) et M. *Maruli* [6]).

---

[1]) Ibidem. *„Item"*.

[2]) Branimir ultimo commemoratur an. 888. — Cfr. Rački, *Documenta*, p. 375, Nr. 189.

[3]) Cfr. Rački, *Documenta*, p. 367 s., Nr. 183; *Starine*, XII, p. 212; *N. Archiv*, V, p. 301, Nr. 17.

[4]) Cfr. W. Wattenbach, *Beiträge* etc., p. 50; Ginzel, o. c., *Codex*, p. 68; Prodan, *Borba, Prilog B*, p. 81.

[5]) *„Regnum Slavorum"* sive *„Lětopis hrvatski"*. — Cfr. Farlati, *Illyricum Sacrum*, III, p. 58 ss.; Crnčić Iv., *Popa Dukljanina lětopis po latinski* etc. U Kraljevici (Portore), 1874.; Prodan, *Borba*, *Prilog D*, p. 1 ss.

[6]) *„Regum Dalmatiae et Croatiae gesta"*. — Cfr. Farlati, o. c., III, pag. 59 ss. Valorem historicum, qualem habent cum *„Regnum Slavorum"*, tum

a) Imprimis aliqua de „*Montemir* (Mutimir), *duce Sclavinicae*" sunt dicenda. Alii illum ducem *Praevalis* (i. e. meridionalis partis Dalmatiae) fuisse credunt [1]), alii *Serblorum* principem [2]), alii demum principem *Chroatiae Saviae* (inter Savum et Dravum flumina) [3]). Ergo certe erat dux quorundam Slavorum Illyrici occidentalis.

Nos post longum diversarum opinionum atque argumentorum examen Rački sententiam omnibus aliis praeferendam esse credimus, eamque amplectimur. Caeterae omnes videntur prolatae, ut theses, saepissime praeconceptae, facilius probentur. Rački autem opinio videtur sensui omnino obvia, et historicis factis optime convenire. Ipse suam sic concludit argumentationem [4]): „exinde deducitur, Mutimirum fuisse non Serbiae sed *Pannoniae inter Savum et Dravum principem* praedecessorem adeoque Braslavonis". Huic conclusioni nihil officit, sed potius ipsam confirmat, admonitio Joannis VIII. ad Mutimir, quae talis est [5]): „Presbyteri illic (in eius principatu) absoluti et vagi ex omni loco adventantes quaedam ecclesiastica contra canones officia peragunt. Imo numerosa, cum sint *acephali,* scelera contra Dei praecepta committunt". — Scimus aliunde, Chroatiam praecise Saviam et Sirmium fuisse sine episcopo, ideoque „*presbyteri illic absoluti et vagi*" a Joanne Papa VIII. „*acephali*" appellantur. Methodius enim ab Hadriano II. (anno 869.—70.) episcopus *Sirmiensis* [6]) creatus est, et, ut ex hoc

„*Regum Dalmatiae et Croatiae gesta*" bene exponit Rački in „*Književnik*", I, p. 200—227, 358—388. — Vide et Thallóczy L., *Die ungar. Beziehungen der Chronik d. Presbyter Diocleas* (in *Archiv f. sl. Phil.*, XX, p. 201 ss.)".

[1]) Simoncelli V., *La liturgia glagolito-romana* (in „*Rassegna giurid. eccles.*", III, Nr. 8—9, p. 462 s., nr. 2).

[2]) E. gr. Marković-Perković, *Slaveni i Pape*, I, p. 37 s.; Dümmler, „*Ueber die ält. Geschichte d. Slawen in Dalmatien*", p. 398, Anm. 1; Jagić V., *Archiv f. slav. Philologie*, IV, p. 708; Tkalčić, „*Na uspomenu 1000 god.*", p. 39.

[3]) Rački, *Nutarnje stanje Hrvatske (Rad*, LVI. p. 115 s.); *Documenta,* p. 368; Tkalčić Iv., *Slavensko bogoslužje u Hrvatskoj*, p. 69 s.; Prodan, *Je li glagolica pravo svih Hrvata?*, p. 106 ss.

[4]) Cfr. *Documenta*, p. 368.

[5]) Cfr. *Starine*, XII, p. 212; Prodan, *Borba*, *Prilog G*, p. 13, Nr. 3.

[6]) Secundum *V. s. Methodii*, (cap. 8), s. Methodius creatus est episcopus „*in Pannonia*" *in sedem s. Andronici*, apostoli. — Cfr. Ginzel, o. c., p. 27. S. Andronicum fuisse episscopum in Sirmio sive Pannonia refert „*Chronicon Paschale*": »'Ανδρόνικος, οὗ ὁ 'Απόστολος μέμνηται ἓν τῇ πρὸς Ρωμαίοις, ὅς καὶ ἐπίσκοπος Πανωνίας ἐγένετο«. (Edit. Du Cange, p.

documento sequitur, Methodius non fuit agnitus ut archiepiscopus, probabiliter propter metum Franconum, qui post adventum s. Methodii has regiones evacuaverunt[1]). Pars ergo *septentrionalis* Chroatiae sub iurisdictione s. Methodii ordinaria erat, qui ibidem „certe", ait Iv. Tkalčić[2]), „introducebat Slavicam linguam liturgicam". In alio *fragmentario* documento admonet Rom. Pontifex Mutimir, ut s. Methodii iurisdictionem agnoscat, sic ad ipsum scribens: „Admonemus te, ut progenitorum tuorum secutus morem, *quantum potes*[3]), ad *Pannoniensium*[4]) reverti studeas dioecesin. Et quia iam illic, Deo gratias, a Sede b. Petri apostoli episcopus ordinatus est, *ad ipsius pastoralem recurras sollicitudinem*"[5]). Videmus, ex voluntate ipsius Summi Pontificis, cum sacerdotes tum principem cum populo Chroatico sub s. Methodii *iurisdictione immediata* positos fuisse.

b) „Excerptum e libello de conversione Carantorum". Hoc documentum attestatur s. Methodium *„ab Histriae et Dalmatiae partibus"* in Carantaniam ac deinde in Moraviam pervenisse: „Post hunc[6]) interiecto aliquo tempore", sic ibidem legitur, „supervenit quidam Sclavus (rectius Graecus) *ab Hystriae et Dalmatiae* partibus nomine *Methodius,* qui adinvenit Sclavinicas

---

427). Hoc idem attestatur adhuc Hesychius, qui, in *Vita Clementis* scribebat: „Et hoc quidem illae Ecclesiae dedit *Andronicus* antiquus Christi discipulus, qui *fuit primus Sirmii in Pannonia episcopus* (Apud Farlati, o. c., II, p. 83); et Nestor in suis *„Chronicis Russorum"* cap. XX. — Cfr. Rački, *Viek i djel.*, p. 49, Nr. 4; Leger L., *Cyrille et Méthode*, p. 114.

[1]) Cfr. *Anonymi* Salisburgensis, *Historia Conversionis Carantanorum et de s. Methodio testimonium quaerulum.* — Apud Ginzel, o. c., *Codex*, p. 41 ss., praesertim p. 55. Haec *„Historia converisonis"* etc. scripta est anno 870. — Cfr. Dümmler, *Ostfr. Reich*, II, pag. 376, Anm. 1; V. Jagić, *Z. Entstgschte*, I, p. 23 s.

[2]) Cfr. *Slavensko bogosl.*, p. 70.

[3]) His verbis indicatur dependentia Mutimir a rege Franconum, quia Mutimir erat vassalus eius.

[4]) S. Methodius saepius in epistolis Joannis VIII. appelatur *„archiepiscopus Pannoniensis ecclesiae"*, e. gr.: „Joannes episcopus... reverdiss. Methodio archiepiscopo *Pannoniensis ecclesiae"* (Apud Ginzel, l. c., pag. 58): „Reddito ac restituto nobis *Pannoniensium* episcopatu liceat fratri nostro *Methodio, qui illic a Sede Apost. ordinatus est*... libere, quae sunt episcopi gerere (Epist. ad Karolomannum regem)". Apud Ginzel, l. c., p. 57. Etc.

[5]) Cfr. *Documenta*, p. 367 s., Nr. 183.

[6]) I. e. post episcopum Hosbaldum.

litteras et *Sclavice celebravit divinum officium et vilescere fecit Latinum; tandem fugatus a Karantanis partibus intravit Moraviam, ibique quiescit*" [1]. Ergo s. Methodius e Dalmatia in Moraviam (mediante Carantania) venit. Probabiliter dicta verba „*Excerpti etc.*" referuntur ad primum et secundum itinera Romana s. Methodii, quia e Pannonia „*fugatus*" s. Methodius, primo in carcerem (an. 870.—873.), deinde „intravit Moraviam ibique quievit" usque ad an. 879. Igitur testimonio Bavarici scriptoris s. Methodius inter Chroatos (in Dalmatia et Histria) moratus est.

c) „Regnum Slavorum" Presbyteri Diocleatis [2] et „*Regum Dalmatiae et Chroatiae gesta*" M. Maruli [3].

In „*Regno Slavorum*" sive „*Kronika Hrvatska*" presbyter Diocleas narrat de Constantino (Cyrillo) fratre s. Methodii: „Itaque Constantinus vir sanctissimus ordinavit presbyteros, et litteram lingua Sclavonica componens, commutavit Evangelium Christi, atque Psalterium, et omnes divinos libros V. et N. Testamenti de Graeca littera in Sclavonicam, nec non et Missam eis ordinans *more Graecorum*, confirmavit eos in fide Christi" [4]. Deinde illum Romam euntem per regiones Chroaticas transiisse dicit, quorum principem „*Sphentapelech*" nominat. Ita obscure loquitur et falsa veris permiscet, ut ex ipso nihil omnino certi eruere possimus, nisi hoc unum, scilicet: saeculo XII. in traditione apud Chroatos fuissse de ss. Fratribus, Cyrillo et Methodio, ipsos inventores esse litterarum Slavicarum et introductores idiomatis Slavici in ordinibus sacris, nec non illos

---

[1] Cfr. Ginzel, l. c., p. 68. „*Excepti*" etc. ignotus est auctor. Probabiliter scriptum est an. 873. vivente adhuc Adalvino, archiepiscopo Salisburgensi († 14. maii an. 873.), cuius successor Theotmarus nondum electus erat (consecratus est die 13. sept. 873.) — Cfr. Hauck, o. c., II, p. 793.

[2] Presbyter Diocleas est scriptor saeculi duodecimi.

[3] Marcus Marulus (Marulić) Spalato an. 1450. natus, ibique an. 1525. mortuus est. Marulus solummodo textum „*Kronike Hrvatske*" presbyteri Diocleatis in Latinum vertit sermonem, et aliquas, plusminusve erroneas, ipsi adiecit explicationes.

[4] In textu Chroatico habetur: „I tako sveti muž Konstanc naredi popove i knjigu hrvatsku istumači iz grčkoga hrvacku, i (na) knjigu hrvacku istumači evangelja i sve pistule crikvene i tako staroga kako novoga zakona i učini knjige s papinim dopušćenjem, i naredi misu, i utvrdi zemlju u viru Isukrstovu". — Cfr. Prodan. *Borba, Prilog D*, p. 6.

Chroatiam et Dalmatiam peragrasse. Lucius Joannes[1]) narrationem presbyteri Diocleatis ex parte tantum veram esse dicit: „Sicuti Methodio et Cyrillo", inquit, „Slavorum Bulgariae, Pannoniae, Moraviae et Bohemiae conversio tribuitur, ita quoque *aliquos ex Croatis*, et Serblis, qui adhuc baptismo carebant, et ex Slavis Narentanos omnes Christi fidem per Cyrillum eodem tempore suscepisse *cum relatis a Porphyrogenito* (Constant.) *congruit*; quae cum a maioribus per *traditionem Diocleas accipere potuerat*... pro solis Narentanis, cunctos Serblos et Croatos a Cyrillo conversos scripsit"[2]). Nos pro certo scimus, Slavos Narentanos temporibus ss. Cyrilli et Methodii adhuc paganos fuisse, ideoque narratio Diocleatis vera esse potest. Et si vera non est, tunc traditionem saeculi XII., quae in illis regionibus existebat, impossibile esset explicare. Etiam hodiernis temporibus apud populum Chroaticum, praesertim in Dalmatia, traditio viget ss. Slavorum Apostolos in Dalmatia Evangelium praedicasse[3]), quod sine dubio aliquo facto historico fundari necessario debet.

Rationabiliter igitur affirmare possumus de ss. Fratribus illos regiones Slavorum Illyrici occidentalis peragrasse. Sed quanam occasione ss. Cyrillus et Methodius facillime illas Slavorum terras pertransire potuerunt? Certe occasione itinerum: a) *CPoli. in Moraviam et vice versa;* b) occasione itinerum *e Moravia Romam et vice versa.*

B. a) Quâ viâ ss. Slavorum apostoli ad Moravos CPoli transierunt? In Bulgaria probabiliter non praedicabant. Scimus enim Bulgaros illis temporibus amicitias[4]) cum Ludovico II., rege Franconum, fecisse, qui bellum gerebat cum Rostislao, Moravorum principe ad quem missi sunt ss. Fratres a Graecorum rege Michaële III., qui data occasione Bulgaros sibi subiugare nitebatur. Cum quadam ergo probabilitate possumus asserere ss. Cyrillum et Methodium *non per Bulgariam*, sed

---

[1]) Lučić Ivan (natus Tragurii initio saec. XVII., mortuus die 11. januarii 1679.) scripsit: „*De regno Dalmatiae et Croatiae libri sex*". Amstelodami, 1666.

[2]) Libro II., cap. 3. — Cfr. Farlati, o. c., III, p. 64.

[3]) Cfr. Bartolini-Danilo, *Sv. Ćirilo i Metod*, p. 94 ss.

[4]) Cfr. Dümmler E., *Ostfränk. Reich*, I, p. 36, 285, 365, 382; II, 51, 85—6, 191; Hauck Alb. *Kirchengeschichte Deutschlands*, Bd. II, pp. 692, 697 s., Anm. 2.

aliquâ aliâ viâ ad Moravos ivisse, quando primum (an. circ. 862.—63.) Moraviam petierunt. Incerta igitur est via, qua ss. Slavorum apostoli, ipsis traditi socii et viae ductores, in terram Rostislai, Moravorum principis transierunt. Forsan per mare Adriaticum illis commodior et securior via apparuit?[1]) Hoc tamen mera est coniectura, cum de istis nulla in fontibus mentio fiat.

Aliam vero quaestionem, quae sublevatur, de altero solius s. Methodii itinere, cum nempe sub finem vitae suae CPolim petiit[2]), putamus posse maiori cum probabilitate solvi, quam praecedentem: et quidem ex relatione *V. Methodii*[3]), quae post narrationem itineris s. Methodii ad Basilium, imperatorem et eius Patriarcham Photium, ita prosequitur: „In omnibus itineribus in multa pericula adducebatur (Meth.) in desertis, in latrones, in mari, in fluctus procellosos, in fluminibus, in syrtes improvisas". Haec verba forsan ad *iter ConstPolitanum* referuntur? V. Jagić in opere *„Zur Entstehungsgeschichte"*[4]) duo nominat itinera, ad quae narratio *V. Methodii* referri potest: Primum est, ad principem quemdam, qui erat admodum potens et *„in terra Vistulanorum*[5]) sedebat". Aliud est ad regem *Ungarorum*[6]). Ergo secundum V. Jagić verba cap. 14. *V. Methodii* referenda sunt ad capita 11. et 16. eiusdem *V. Methodii.* Nos istam expositionem, nostram non facimus. Nobis multo naturalius apparet sic rem explicare, ut nulla vis textui infe-

---

[1]) Notatu hic dignam ducimus etiam hanc circumstantiam: Omnes Slavi cupiebant iugum Franconicum abiicere. Chroatorum duces, tam illi, qui *Chroatiam Saviam,* quam illi, qui Dalmatiam incolebant. Similiter Privina eiusque filius Kocel, qui ss. Cyrillum et Methodium Romam petentes (an. 867.) in aula sua optime excepit, et post reditum (an. 869.) s. Methodium apud se retinuit. Imo ipse, ut credimus, s. Methodio consuluit, ut ab Hadriano II. novam dioecesin peteret independentem a Salisburgensi. Et hae circumstantiae nostram hypothesin aliquatenus rationabiliorem reddunt.

[2]) De facto huius itineris pauci dubitant. — Cfr. Jagić, o. c., I, p. 41—42; Goetz, o. c., p. 223 ss.; Dümmler, *Ostfr. Reich,* III, p. 253; Lapôtre, o. c., I, p. 157; Marković-Perković, *Slaveni i Pape,* I, p. 126; Jireček Const. *„Die Romanen in den Städten Dalmatiens"*, I, p. 49., Anm. 2.

[3]) Cap. 14. — Apud Ginzel, o. c., *Codex;* p. 30.

[4]) I, p. 44—45.

[5]) Narratur in cap. 11. *V. Meth.* — Cfr. Ginzel, o. c., *Codex,* p. 28.

[6]) *V. Methodii,* cap. 16. Brückner Al. in *Thesen* etc. (Cfr. *Archiv für slav. Philol,* XXVIII, p. 203) *„regem Hungarorum"* fuisse regem Franconum dicit contra Dümmler et alios.

ratur, h. e. ut ex contextu ipsius narrationis conclusiones deducamus. In praecedenti capite (13) *V. Methodii* sermo erat, de „*desiderio*" Basilii, imperatoris videndi s. Methodium. Ille autem statim CPolim profectus est et magno cum gaudio et honore exceptus est, nec ullam rem imperator illi recusavit, sed omnem eius voluntatem adimplevit: „adamatum et large donatum iterum solemniter in sedem suam remisit. Eodem modo (egit) et patriarcha (Photius)" [1]). Post haec statim sequuntur ea, de quibus disputamus. Sanus sensus criticus clare suggerit, posterius dicta ad priora referri. Si ergo illa, quae cap. 14. narrantur, ad iter CPolitanum referimus, facillime pericula illa, quae s. Methodius perpessus est, *sive in mari*, sive in terra, explicare poterimus [2]).

Forsan in cap. 14. agitur de *omnibus* itineribus *totius vitae* s. Methodii. Id etiam possibile est, sed tamen nobis parum probabile videtur; quia in cap. 16. *V. Meth.* de aliquo itinere s. Methodii sermo habetur: ergo illa pericula cap. 14. saltem ad hoc iter non possunt referri. Igitur non ad „*omnes totius vitae Methodii*" peregrinationes referuntur narrata in cap. 14. V. Methodii. Pericula igitur, quibus expositus fuit s. Methodius referri *rationabiliter* possunt ad iter CPolitanum et reditum s. Methodii in Moraviam (inter ann. 882.—885.) [3]).

Ita semel atque iterum, quod Slavorum Apostolus a Chroatis inhabitatas terras peragraverit *rationabiliter supponere possumus*, quamvis id nullo *positivo* documento historico fulcire possimus. Forsan s. Methodius populo Chroatico sese immiscebat, quem ad Christianam religionem trahere et in fide corroborare ipsi cura incumbebat [4]). Quod in aula Branimir, ducis

---

[1]) Cfr. *V. Meth.*, c. 13.

[2]) Joannes VIII. se coactum vidit scribere ad Domogoj, ducem Chroatorum, ut in mari Adriatico „*marinos latrunculos*", qui insidebant navigantibus, comprimat. — Cfr. Rački, *Documenta*, p. 6. Narentani, qui ad Narentam fluvium habitabant, „*continuo exercebant privaticam artem*". — Cfr. Rački, Ibidem, p. 334, nr. 174; p. 374, nr. 186.

[3]) In praecisione huius itineris nobis praeivit Jireček. O. c., I, p. 49, n. 2: „*Die Reise*", inquit, „*ging wohl über das byzantinische Dalmatien* (»θέμα Δελματίας«) *und von dort aus zur See, wenigstens bis Dyrrhachion; Die Gefahren, die Methodius als Erzbischof auf Seereisen bestanden hat, können sich nur (?) darauf beziehen*".

[4]) Ius evangelizandi s. Methodio traditum est ab Hadriano II. (ann. 870.) inter *omnes* Slavos: sic in *V. Meth.* (cap. 8) legimus: Non tibi (Kocelo)

Chroatorum fuerit et ibi Theodosium, Nonensem episcopum viderit, facile praesumi potest. Sed de his omnibus nullum historicum testimonium habemus, ideoque restant merae hypotheses.

b) In superioribus iam non semel locuti sumus de itineribus ss. Cyrilli et Methodii Romam ad Rom. Pontifices [1]), itaque ss. Fratribus occasio praebebatur Chroatis Evangelium praedicandi ipsosque litteras Slavicas edocendi, quae facillime corda Slavorum devinciebant.

In primo itinere Romano (1867.) apud Kocelum, Pannoniensium principem morati sunt ss. Cyrillus et Methodius, ipsumque litteris Slavicis favorabilem reddiderunt [2]). Communiter tenetur [3]) hac occasione ss. Fratres Chroatorum fines attigisse ipsisque Evangelium praedicasse; fontes historici tamen de istis altum tenent silentium.

In secundo itinere (ann. circ. 870.) non potuit s. Methodius Chroatis pradicare, quia parum temporis habuit, et *recto tramite* Romam adire oportuit, ad dioecesin. a Salisburgensi et Passaviensi distinctam, obtinendam.

C. Antequam quaestionem de via, quam s. Methodius in suo tertio itinere Romano tenuit, aggrediamur. aliqua de *„Joanne presbytero“* et de Theodosio, Nonensi episcopo. praemittenda esse censemus.

---

tantum, sed *omnibus partibus illis Slovenicis* mitto (Hadr. II.) illum (Meth.) magistrum“. Haec verba *V. Meth.* confirmantur epist. Joannis VIII. (ann. 880.) ubi legitur: „Sicuti *antecessorum* nostrorum auctoritate *omnium ecclesiarum* Dei iura et privilegia statuta et firmata consistunt“. In cap. 12. *V. Meth.* summa epistolae Joannis VIII. in his verbis continetur: „Manibus eius (Meth.) sunt a Deo et *ab apost. Sede omnes partes Slovenicae traditae*“. Deinde saepius in epistolis Joannis VIII. occurrit de s. Methodio, quod sit *„e latere destinatus“*. — Cfr. *N. Archiv* V, p. 301 ss; *„Starine XII“*, p. 214 ss.

[1]) Primum iter Rom. locum habuit ann. circ. 867.; secundum ann. 869.—70.; tertium an. 879.—80.

[2]) Cfr. *V. Cyrilli*, cap. 15. Kocel ss. Fratribus tradidit 50 discipulos in litteris Slavicis erudiendos.

[3]) Tkalčić Iv., *Slav. bogosl. u Hrvatskoj*, p. 14; Tkalčić Iv., *Na uspomenu*, p. 20 s.; Leger L., O. c., p. 100—101; Rački, *Viek i djelovanje*, p. 213; Broz, *Crtice*, II, p. 6; Jagić, O. c., I, p. 14: „Ihre Reise ging *wahrscheinlich* durch Croatien und Krain nach Italien“. Hac occasione, putat Farlati, ss. Fratres ad christianismum convertisse Chroatos Narentanos. Id nobis parum probabile videtur; Cyrillus enim et Methodius, quia a Nicolao I. citati erant, quam citius poterant Romam properare debebant, ideoque Chroatis *longo tempore* praedicare vix potuerunt. — Cfr. *Illyr. Sacr.*, III, p. 65 ss.

a) Imprimis dilucidanda est quaestio de *Joanne presbytero*, cuius iam saepius mentionem fecimus, qui et perlator fuit litterarum Joannis PP. VIII. ad Branimir, principem et populum Chroaticum et Boris-Michaëlem, regem Bulgarorum. Estne hic *Joannes presbyter* idem atque ille, qui erat in aula Svatopluki, principis Moravorum? Certe *Joanne* quodam *presbytero* Rom. Pontifices et Slavorum principes ad negotia sua componenda utebantur.

Auctores, in quantum nobis notum est, omnes ante nostrum V. Jagić, unicum Joannem, presbyterum fuisse censuerunt. Jagić autem unum Joannem presbyterum in aula principis Chroatici, qui et perlator fuit litterarum Joannis VIII. in Chroatiam et Bulgariam, exstitisse censet; et alterum, qui erat „*princeps legationis*“ [1]) Svatopluki ad Ludovicum, regem Franconum, fuisse tenet [2]).

Nos post examen utriusque opinionis, Jagić sententiam, utpote probabiliorem, amplectimur. Re enim vera Joannes ille, qui in aula principis Svatopluki morabatur, amicus s. Methodii non fuit. Non possumus explicare, quomodo potuit Joannes VIII. notitiam habere de omnibus, quae fiebant in Moravia, nisi ipsum Joannem presbyterum informatorem supponamus. Deinde hic ipse Joannes presbyter fuit de aulicis [3]) Svatopluki, principis, quibus Joannes VIII. expressis verbis postea (an. 880.) „*lingua Latina sacrum audire*“ concessit [4]). Hic ergo Joannes, qui vivebat in aula principis Svatopluk, linguae Latinae certo adhaerebat, ac proinde contrarius fuisse videtur s. Methodio et eius asseclis. Quantam confidentiam in ipsum posuerit Svatopluk, clare patet iam ex eo, quod missus fuerit, ut nomine eius pacem iniret cum Ludovico, rege Franconum (an. 874.) [5]).

---

[1]) Cfr. *Monum. Germ. Scriptorum*, I, p. 388: „In villa Frohheim.:. legatos Zuentibaldi pacem petentes et fidelitatem promittentes suscepit (Ludov. II.). Cuius legationis princeps erat *Joannes presbyter de Venetiis*“.

[2]) Cfr. *Z. Entstenhgsgschte*, I, p. 31—32.

[3]) Cfr. Epist. Joannis VIII. ad Svatoplukum (an. 879.), ubi de hoc *Joanne presbyt.* dicitur: „Quod autem, sicut Joanne presbytero *vestro* (forsan confessarius eius erat), quem nobis misistis, *referente didicimus*, in recta fide dubitetis“. — Apud Ginzel, o. c., *Codex*, p. 59. De s. Methodio *Joannes presbyter* Rom. Pontifici retulit: „Quod *aliter doceat*, quam coram Sede apost. se *credere* et verbis et litteris professus est“. Ibidem.

[4]) Cfr. Ginzel, o. c., p. 62, Prodan, *Borba, Prilog B*, p. 73.

[5]) Cfr. Dümmler E., *Gschte d. ostfr. Reiches*, II, p. 375.

Svatopluk minime favebat s. Methodio et discipulis eius, quia ipsos e finibus Moraviae, illico post mortem magistri, eiecit. Ergo tenendum est, quod sicut Svatopluk non protegebat s. Methodium et eius discipulos, ita et aulici eius inter quos probabiliter erat *„princeps"* ipse *Joannes presbyter*.

Nunc de *Joanne presbytero,* de quo Joannes VIII. in litteris in Chroatiam directis saepe loquitur, inquiramus oportet. De illo prima vice sermo occurrit in epistola Joannis VIII. ad omnes fideles Dalmatiae[1]) de quo ibidem dicitur, quod sit *„religiosus presbyter"*, et quod fuerit *„dicti sui senioris* (h. e. Domogoj, principis) *servitiis occupatus"*. In quo constiterint illa *„servitia"*, ibidem non est clare expressum. Fuit certe „fidelis" duci Domogoj et a Rom. Pontifice „pristino officio et ministerio *liberius* uti et verbum praedicationis *in populo*[2]) iuxta morem sacerdotis in omnibus exercere" ipsi permissum est. Supponere ergo non possumus praesentiam huius Joannis presbyteri simul apud Svatoplukum. Ille alter Joannes *hoc eodem* tempore in Frohheim missos principis Moravici conducebat[3]).

De Joanne presbytero, in litteris Joannis VIII. in Chroatiam missis anno 879. saepe sermo habetur. In epistola ad Branimir[4]) Joannes presbyter *„communis fidelis"* appellatur. Branimir *orali mediatione* legati sui (Joan. presb.), ut videtur, aliqua a Pontifice postulavit[5]), quod magnam confidentiam, quam in Joanne presbyt. reposuerat clare demonstrat. Probabiliter Joannes presb. iisdem *servitiis* occupabatur etiam sub Branimir ac tempore Domogoj ducis (ann. 874.). Id conclusio epistolae huius indicare videtur: „ut pro amore b. Petri et nostro", scribebat Joannes VIII., *„cum tua ipse* (Joan. presb.) *licentia* legationem hanc nostram (dedit enim ei *„apostol. epistolam deferendam regi Vulgarorum"*) sine tardidate perficiat". Joannes presbyt. dependebat a voluntate ducis Branimiri, quia solummodo *„cum eius licentia"* potuit legationem Joannis VIII.

---

1) Cfr. *N. Archiv*, V, p. 308 s. In hac epistola *Joannes presbyter* aliquatenus scrupulosus apparet. Haec epist. scripta est inter sept. an. 874. et 8. maji an. 875. — Cfr. *Starine XII*, p. 217.

2) Ex hoc sequitur illum fuisse originis Chroaticae.

3) Cfr. *M. G., Script.*, I, p. 388.

4) Cfr. Rački, *Documenta*, p. 8 s. Scripta est an. 879., die 7. iunii.

5) „Sicut nostro praesulatui per iam dictum presbyterum *tria suggessisti*". Parum inferius: „Et quia hunc ipsum Joann. presbyt. *tibi et nobis verum fidelem* in omnibus esse cognovimus". Ibidem.

perficere. Eodem modo in epistolis suis ad episcopos, clerum et populum Dalmatiae[1]), Joannes VIII. de Joanne presbytero dicebat, eum esse „fidelem familiarem" suum et in ipso confidentiam se habere: „cui (Joan. presbyt.) aliqua iniunximus vobis *verbotenus* referenda: et ideo illi *omnia,* quae de parte nostra dixerit vobis credere nullatenus dubitetis"[2]).

Ex epistola ad Theodosium[3]) cognoscimus, de ipso, apud Rom. Pontificem, bene locutum esse Joannem presbyterum: „Nam et Joannes venerabilis presbyter", inquit Joannes Papa, „de vestra parte veniens, *multa* nobis *tuae bonitatis et patientiae viva voce praeconia retulit,* quae in sacerdote Christi magnopere sunt habenda"[4]).

Concludendum est duos fuisse nomine *Joannis „presbyteros":* unus erat in aula Svatopluki, et ab ipso missus est ad Joannem VIII., ac de s. Methodio plura — sive bona sive mala fide, nescimus — falsa Pontifici retulit. Hic ergo Joannes s. Methodii adversarius fuisse apparet. De Joanne presbytero, quo populus Chroaticus, ad negotia sua cum Sede Apostolica componenda, utebatur, tale aliquid dicere nullatenus possumus.

Atque de Joanne presbytero haec dixisse sufficiat[5]).

b) Cum iam alibi quaedam de Theodosio, Nonensi episcopo, diximus, sequentia, pro subsequentium faciliori intelligentia, repetere, bonum esse duximus.

Theodosius e diacono factus est episcopus Nonensis, qui etiam *„episcopus Chroatorum"* appellabatur. Ipse scripsit epistolam ad Joannem Papam VIII.[6]), in qua suam fidelitatem atque adhaesionem erga Ecclesiam Romanam protestatus est. Joannes VIII. ipsi respondens utrumque in illo laudat ipsumque

---

[1]) Rački, *Documenta,* p. 11.

[2]) Ibidem.

[3]) *Documenta,* p. 12.

[4]) Ibidem.

[5]) De Ivano, filio ducis Chroatorum nihil dicemus. Videri possunt: Rački, *Documenta,* pag. 377 s.; Farlati, o. c., IV, p. 209 ss.; Bianchi, *Zara christiana,* II, p. 270 ss. (Apud Prodan, *Borba, Prilog F,* p. 6 ss.).

[6]) Tenorem huius epistolae notum habemus e litteris Joan. VIII. diei 17. iunii 879. ad Theodosium, in quibus legimus: „Dilectionis tuae litteris receptis atque perlectis devotionis et fidei tuae sinceritatem, quam circa Ecclesiam b. Petri, apostoli et circa nostrum pontificium habes luce clarius agnovimus. — Cfr. *Docum.,* p. 12.

monet, ne consecrationem episcopalem nisi ab eo accipiat[1]). Pontificis desiderio atque voluntati obtemperans Theodosius Romam profectus est[2]), ut ab ipso Rom. Pont. episcopalem recipiat consecrationem. Ab hoc tempore Theodosius erat *immediate* subiectus Romano Pontifici[3]); quia archiepiscopus et metropolita Spalatensis erat Photianus[4]).

Hoc evenit fine anni 879. aut initio an. 880. Sanctus etiam Methodius *hoc eodem tempore* Romam, a Joanne P. M. vocatus, petere debuit.

Anno 879., mense iunio, Joannes VIII. scripsit epistolam ad s. Methodium[5]), ac etiam ad Theodosium Nonensem[6]). Ex epistola ad Methodium videmus eum accusatum fuisse, quod „populum in errorem mittat", et *Missam cantet in „barbara, h. e., Sclavinica lingua"*. Perlator huius pontificii documenti fuit ille, a nobis multoties nominatus, Joannes presbyter, ut colligitur ex epistola eiusdem Joannis VIII. ad Svatoplukum, principem[7]). Hic Joannes presbyter nihil minus, quam accusator[8]) s. Methodii erat. Litterarum Joannis VIII. ad Theodosium Nonensem perlator erat ille alius Joannes presbyter, qui erat aulicus Branimir, ducis Chroatici. Hic Joannes presb. non accusabat Theodosium Nonensem, sed de ipso Rom. Pontifici „multa bonitatis et patientiae praeconia retulit".

Forsan Theodosius Nonensis in relationibus fuit cum s. Methodio?[9])

---

[1]) „Ideo monemus sagacitatem tuam", inquit Joan. VIII., „ne in quamlibet partem aliam declines, et contra sacra venerabilium patrum instituta episcopatus gratiam recipi quaeras..., sed toto corde totaque voluntate ad gremium Sedis apost.... redeas: quatenus et ipse... episcopalem consecrationem per *nostrae manus impositionem... percipias*". — *Docum.* p. 12, N. 8.

[2]) Cfr. Epistola Joannis VIII. ad Branimir, sacerdotes, iudices cunctumque populum Chroaticum: „*Audita per Theodosium*, venerabilem episcopum vestrum, fide et devotione" etc. Deinde sub fine: „mandamus", inquit, „*ut revertente* ad vos dilecto episcopo vestro..." etc. — *Docum.*, p. 13, Nr. 9.

[3]) Cfr. Simoncelli, o. c., III, Nr. 8—9; p. 469.

[4]) Vide Rački, *Documenta*, p. 187, Nr. 148; Farlati, o. c., III, p. 78—79; Hergenröther, *Photius*, II, p. 615, Anm. 82.

[5]) Ginzel, l. c., p. 58; Prodan, l. c., p. 68.

[6]) Cfr. Rački, *Docum.*, p. 12, Nr. 8.

[7]) Apud Ginzel, l. c., p. 59.

[8]) Cfr. V. Jagić, *Z. Entstgschte*, I, p. 31 s.

[9]) Cfr. Prodan, *Je li glagoljica pravo svih Hrvata?* p. 142; Simoncelli V., „*La liturgia*" etc. *(Rassegna giur. eccl.*, an. III. (1905.), Nr. 8—9, p. 468).

S. Methodius et Theodosius, a Romano Pontifice vocati, Romanum iter illico aggressi sunt. Qua via s. Methodius, quave Theodosius Romam petierunt? Si adaequata responsio ad hanc quaestionem inveniri posset non multae difficultates solvendae relinquerentur. Forsan Methodius praemonuit Theodosium Nonensem, ut simul Romam progrederentur? Secundum hanc *hypothesin* s. Methodius Nonam pervenisset, et deinde per mare Adriaticum ad Italiae littora simul cum Theodosio appulisset. Forsan etiam vocatio utriusque, eodem tempore facta, in nexu erat cum negotio aliquo communi [1], quod cum s. Methodii tum Theodosii praesentiam postulaverat? Et hoc etiam valde est possibile, nullum tamen vestigium in monumentis id confirmans occurrit. Ideo hic nihil prodesset vel eminentissimorum historiographorum opiniones, quae tantum coniecturales sunt, afferre [2].

Caeterum, quidquid sit de societate in itinere Romano s. Methodii et Theodosii, certum est illos *eodem tempore* profectos esse. Certum est etiam scopum Methodii fuisse: ut rationem redderet eorum, quae apud Moravos faciebat, et, ut responderet ad ea, quae contra eius orthodoxiam afferebantur et contra *usum linguae Slavicae* in ss. Missae sacrificio, ab ipso usitatae; scopum vero Theodosii, ut consecrationem e manibus Summi Pontificis reciperet. Haec in dubium minime vocari possunt; fontes enim omni fide digni haec nos docent.

Quaerimus nunc, quid de opere s. Methodii Romae operato notum habemus? E litteris Joannis VIII. ad Svatoplukum [3], scimus, Methodium in iudicio fuisse: „Methodium *interrogavimus*", ait Joannes Papa, „coram positis fratribus *nostris episcopis,* si orthodoxae fidei symbolum ita crederet:... sicuti s. Rom. Eccl. tenere... constat". Licet etiam quaestionem instituere: quinam fuerint, illi episcopi, coram quibus Methodius

---

[1]) Ginzel, *(Slawenapostel,* §. 29., p. 115. Anm. 9.) putat, s. Methodium causam fuisse *reversionis* Chroatorum in sinum Eccl. Romanae, de qua illis temporibus agebatur.

[2]) Cfr. Prodan, *Borba,* p. 141; Smičiklas, „*Poviest Hrvatska*", 1. p. 194. Pro s. Methodio certissime per Chroatiam et mare Adriaticum, securior via erat, quam per regiones a Franconicis regibus administratas; Methodius facile non potuit oblivisci persecutionum et triennalis incarcerationis (an. 870.—873.).

[3]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex,* p. 60–62; Prodan o. c., *Prilog B,* p. 70–73.

respondere debuit? Romae illo tempore morabatur, ut Rački[1]) notat, Theotmarus (Diatmarus), archiepiscopus Salisburgensis, qui Methodii causam certe non egit, sed potius cum Semisisno, misso principis Svatopluk, qui processui s. Methodii ad finem usque assistere debebat[2]), causae Wichingi eiusque asseclarum favit. Romae erat et Theodosius Nonensis, quod ille iudicio s. Methodii adfuerit, aliquali cum probabilitate credere licet. Quidquid sit, nos nullum examinatorem versionis Slavicae Librorum Sacrorum cognoscimus. Hoc officium obire potuit Joannes presbyter (scil. ille, qui erat in aula Svatopluki), sed ille Methodii *accusator* fuit, ideo simul in testimonium convenienter assumi non potuit, ubi de Methodio et eius versionis fidelitate agebatur. Hoc igitur officium convenientissime obire potuerunt Theodosius Nonensis et alius ille Joannes presbyter (Chroaticus), qui cum Joanni VIII. tum s. Methodio fidelis erat. Sed probabiliter hac vice Romam cum Theodosio et s. Methodio non venit. Epistolam enim Joannis PP. VIII. ad Branimirum[3]) (an. 880.) Theodosius ipse secum accepit. Theodosio ergo rationabiliter attribuere possumus officium revisoris[4]) Methodianae versionis SS. Scripturarum. Necessario debebat examinari versio Methodiana SS. Scripturarum: „Nec sanae fidei aliquid obstat“, ait Joannes VIII., „sacrum Evang. et lectiones divinas N. et V. Testamenti *bene translatas et interpretatas legere*“[5]). Methodii versionem his verbis Rom. Pontifex approbat et „*bene*“ factam esse dicit, quod ipsius examen necessario supponit.

---

[1]) Cfr. *Viek i djelovanje*, p. 329; Leger L., o. c., p. 140, Nr. 4; Jagić, o. c., I, p. 36.

[2]) Leger L., o. c., p. 140.

[3]) V. *Documenta*, p. 13, Nr. 9.

[4]) Leger (o. c., p. 107). De primo s. Methodii itinere cum s. Cyrillo agens dicit: „Peut-être le Pape (Hadr. II.) avait-il fait constater par des prêtres *dalmates ou croates* l'orthodoxie de cette traduction“. Si hoc dici potest cum agebatur de quodammodo improvisa inquisitione, quanto magis nos dicere possumus, si aliunde certo scimus tunc Romae adfuisse Chroaticum episcopum, cui, ante paucos dies Joannes VIII scribebat: „Te quasi dilectum corporis Christi membrum et spiritalem filium, nostri apostolatus ulnis extensis amplectimur, paternoque amore diligimus atque apostolica semper volumus benignitate fovere“. — Cfr. Rački, *Docum.*, pag. 12. Haec nostra opinio de revisione versionis Methodianae SS. Scripturarum per Theodosium Nonensem confirmatur et Slavico (glagolitico) Psalterio eiusdem Theodosii, de quo in paragrapho sequenti necessaria dicemus.

[5]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 62; Prodan, o. c., *Prilog B*, p. 73.

Has conclusiones e rescripto Joannis VIII. ad Svatoplukum deducimus, quod mense iunio anni 880. datum est, in quo etiam idiomatis Slavici liturgici confirmatio reperitur.

In Moraviam rediens s. Methodius probabiliter eâdem viâ (per mare Adriaticum?) reversus est [1])

Ex dictis de itineribus s. Methodii rationabiliter concludere possumus, eundem s. virum non semel peragrasse Chroatorum terras sive CPoli in Moraviam eundo, sive inde CPolim revertendo sub finem vitae suae. Deinde occasione suarum peregrinationum ad Romanos Pontifices.

Quod cum doctrina et nomine s. Methodii, in nexu intimo sit Slavica lingua liturgica, etiam apud Chroatos, clare demonstrant controversiae illae, in Dalmatia tertio decennio saeculi X. habitae, de quibus in paragrapho sequenti sermonem instituemus.

2. De relationibus discipulorum ss. Cyrilli et Methodii cum Chroatis.

De discipulis ss. Fratrum fere nihil memoriae proditum est. De illis certo solummodo scimus, quod e Moravia, illico post mortem s. Methodii, i. e. post an. 885. expulsi sint. Scimus etiam aliquos eorum ad Bulgaros [2]) abiisse ipsisque Evangelium praedicasse. Sed an aliqui in Chroatiam pervenerint, ignoramus. Forsitan aliqui ex illis hospitalitatem quaerentes ad Chroatos venerunt [3]), sed in fontibus testimonium huius rei nullum habemus. Aldafredus (Aldefreda) [4]), qui in sede episcopali No-

[1]) „Etant donnés la haine", ait Lapôtre, „dont il se savait poursuivi (s. Méth.) par les Allemands, et le souvenir encore présent de sa terrible captivité, Méthode *ne pouvait songer* à retourner en Moravie par la Carinthie, alors gouvernée par Arnolf. Il lui fallut donc *de toute necessité* faire un long détoure à l'est, *atteindre le territoire du prince slave Brazlavon* (hic princeps *„regnum tenebat"* sic dictae Chroatiae Saviae. — Cfr. Rački, *Docum.* p. 379, Nr. 193; Smičiklas, *Poviest Hrvatska*, I, p. 197), traverser la Save, la Drave... et arriver ainsi jusqu'au Danube". — Cfr. *L'Europe* etc., p. 136, Nr. 1.

[2]) De dispersione dicipulorum Cyrilli et Methodii loquitur *„Legend. Bulgarica"* sive *„Vita s. Clementis, episcopi Bulgarorum"*. — Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 32 ss. Omnia, quae refert *Leg. Bulgar.* non sunt fideliter et historice exposita: vera et certa a falsis et dubiis non est facile secernere. Vide V. Jagić, o. c., I, p. 51—52.

[3]) Vide Broz: *Crtice,* II, p. 63 s.

[4]) Eius meminit Mutimir, dux Chroatorum, die 28. sept. an. 892. — Cfr. Rački, *Documenta*, p. 14—16, Nr. 12; Smičiklas, *Poviest Hrv.*, I, p. 195; Simoncelli, o. c., III, Nr. 8—9, p. 469.

nensi successerat Theodosio, post eius translationem ad sedem Spalatensem, videtur fuisse originis Moravicae, id est e regionibus Germanis contiguis, et forsan discipulus s. Methodii. Const. Porphyrogenetus[1]) narrat dispersionem Moravorum post invasionem Hungarorum in Moraviam (an. circ. 905.—6.) hunc in modum: »Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν τοῦ αὐτοῦ Σφενδοπλόνου († 894.) ἕνα χρόνον ἓν εἰρήνῃ διατελέσαντες, ἔριδος καὶ στάσεως ἓν αὐτοῖς ἐμπεσούσην, καὶ πρὸς ἀλλήλους ἐμφύλιον πόλεμον ποιήσαντες, ἐλθόντες οἵ Τοῦρκοι (Hungari) τούτους παντελῶς ἐξωλόθρευσαν, καὶ ἐκράτησαν τὴν αὐτῶν χώραν, εἰς ἣν καὶ ἀρτίως οἰκοῦσι καὶ οἱ ὑπολειφθέντες τοῦ λαοῦ διεσκορπίσθησαν προσφυγόντες εἲς τὰ πανακείμενα ἔθνη, εἲς τε τοὺς Βουλγάρους καὶ Τούρκους καὶ Χρωβάτους καὶ εἰς τα λοιπὰ ἓθνη«. Ex hisce verbis Rački[2]) deducit: „Nunc itaque *certo,* si iam non illico post mortem s. Methodii (885.), cum contra discipulos eius persecutio excitata fuisset, plures in Chroatia asylum quaesiverunt, suique magistri et litteras et linguam in sacris Slovenicam propagare studuerunt. Quare mirum non est, de utroque controversiam paulo post ibidem exortam fuisse“. Ex illis Const. Porphyrogeneti verbis *certo* concludere possumus Moravorum aliquos confugisse ad Chroatos, sed de propagatione linguae liturg. Slavicae ibidem nihil habetur, quantumvis et id valde probabile appareat, ut Fr. Rački notavit.

Concludendum est ss. Fratres, aut saltem s. Methodium solum apud Chroatos aliquando commorari potuisse et *probabiliter*[3]) cum ipsis habuisse relationes. De discipulis autem eorum *probabiliter* statim post mortem s. Methodii († 6. april. 885.) nonnulli ex ipsis in Chroatia refugium quaesierunt, et post invasionem Hungarorum quidam ex illis apud Chroatos asylum invenerunt, ut tradit idem Const. Porphyrogenetus.

III. Tempus introductionis idiomatis Slavici liturgici apud Chroatos indagatur.

Slavicum idioma liturgicum, auctoribus ss. Cyrillo et Methodio, Slavorum apostolis, *exstitisse apud Chroatos in tertio decennio decimi saeculi,* sufficienter *demonstrant* dissidia et magnae contentiones Chroatos inter et Latinos Dalmatiae.

[1]) *„De administr. Imperio“*, cap. 41. — Cfr. Rački, *Docum.*, p 387, Nr. 196.

[2]) *Documenta*, p. 387—88, Nr. 196.

[3]) Id saltem de Chroatis *in Chroatia Savia cum certitudine* liceat affirmare.

1. De controversiis illis abunde edocemur *duabus apostolicis litteris Joannis Papae X.* (914.—928.) directis ad episcopos provinciae ecclesiasticae Spalatensis et *una tertia* eiusdem Romani Pontificis directa ad *Thomislav, regem Chroatorum;* nec non *actis concilii Spalatensis,* anno circiter 924., in praesentia duorum Summi Pontificis legatorum[1]) celebrati. Magnam quoque lucem nobis affert responsum eiusdem Joannis PP. X. ad Decreta supra memorati concilii[2]).

Dissensiones utriusque, Latinorum et Chroatorum, partis exortae sunt duplicem propter causam: altera est *usus idiomatis Slavici,* quem Chroati in sacris ecclesiae functionibus adhibebant, et altera abusus tum episcoporum Latinorum tum Gregorii, Nonensis simul et Chroatorum episcopi. Episcopis enim Latinis[3]) Chroatos in eorum dioecesibus degentes ordinare nolentibus, Gregorius Nonensis coactus quodammodo erat, non solum suos, sed etiam illos clericos, qui pertinebant ad dioeceses episcoporum Latinorum, ordinare. Modus agendi cum Gregorii Nonensis tum etiam episcoporum archidioeceseos Spalatensis illegitimus est, ut patet, et canonibus contrarius. Hinc dissidia et magnae contentiones exortae sunt, quae non antea sedari potuerunt, quam consulto Romano Pontifice, ad quem

[1]) Legati fuerunt: Joannes, episcopus Anconitanus, et Leo Praenestinensis episcopus. — Cfr. Epist. Joannis X. ad Joannem archiepiscopum Spalatensem. Apud Farlati, o. c., III, p. 93.

[2]) Vide Rački, *Documenta,* p, 187 ss. — Acta concilii Spalatensis exemplari „Historiae Salonitane maioris", Thome archidiaconi, inserta, J. Lucius (Lučić) stylo censorio *„ficta et supposititia"* proclamavit. Contra quem ipsorum auctoritatem Farlati (o. c., III. p. 84 ss.) optime defendit. Rački quoque iudicio Farlati assentitur atque „acta ipsa quoad rem et argumentum fide digna esse" opinatur. — (Cfr. *Documenta,* p. 197). Similiter putat et Dümmler, qui ait: „Farlati vertheidigt sie (acta) mit Eifer und *Erfolg* gegen Lucius J., der *sehr voreilig den Stab darüber* brach, indem er sie *kurzweg* für „ficta et supposititia" erklärte". — Cfr. *Ueber die ält. Gschte. d. Slaw. in Dalmatien,* p. 417. Anm. 1. — Novissime prof. J. Zeiller de authentia actorum huius concilii dubius haeret. — Cfr. *Les origines chrétiennes dans la prov. romaine de Dalmatie,* p. 13—14, 5°; 27, III°, 35; 98, n. 1.; 149—150, n. 2.

In actis concilli Spalatensis *nihil est,* quod ipsorum falsitatem aut interpolationem denotet; eorum *tenor omnibus temporis et personarum circumstantiis optime convenit.* Ratio autem, quia solummodo in *„Historia Salonitana maiori"* conservata sunt, insufficiens est, ut de authentia rationabiliter dubitemus.

[3]) *Latinos* vocamus illos episcopos, qui praeferebant usum linguae *Latinae,* sed eorum plures originis sunt Slavicae.

episcopi Dalmatiae, rex omnesque duces atque primores Chroatici appellaverunt, legatos ab ipso petentes ad controversias omnes dirimendas, quae sive ad usum linguae liturgicae sive ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant. Propositum episcoporum clerique Latini erat liturgicam linguam Slavicam contra omne fas et nefas pro semper supprimendi. Nec deerant, qui ipsam falso criminarentur erroribus esse refertam, eiusque auctori haereseos notam apponebant [1]), ut colligitur ex epistola Joannis X. ad archiepiscopum Spalatensem, in qua sequentia leguntur: „Et quia *fama revelante* cognovimus per confinia vestrae parochiae (i. e. dioeceseos) *aliam* (sic!) doctrinam pullulare, quae in sacris voluminibus non reperitur vobis tacentibus et consentientibus [2])... sed absit hoc a fidelibus, qui Christum colunt, et aliam vitam per orationem se credunt posse habere [3]), ut *doctrinam Evangelii* atque *canonum volumina apostolicaque* etiam praecepta *praetermittentes* ad *Methodii doctrinam* confugiant, quem in nullo volumine inter sacros auctores comperimus" [4]). Joannes igitur X. asserit in Spalatensi archiepiscopatu pullulare doctrinam, „quae in sacris voluminibus non reperitur". et quod „*praetermitti*" non debeant, „doctrina Evangelii atque canonum volumina apostolicaque praecepta" et confugere „ad *Methodii doctrinam,* qui in nullo volumine inter sacros auctores" comperitur. Ergo *alia* est *doctrina* Methodii et *alia* est *doctrina* Evangelica. In quonam consistat „*doctrina Methodii*" Rom. Pontifex non indicat. Sed s. Methodius, ut fontes omni fide digni nobis narrant, a praedecessore Joannis X. Joanne VIII. orthodoxus est proclamatus. Hic ergo non de aliqua re alia, quam de lingua Slavica liturgica agitur, propter quam ipsa doctrina s. Methodii in dubium vocatur.

Deinde in eadem epistola Joannes X. praecipit Joanni, archiepiscopo Spalatensi ut: „cuncta per Sclavinicam terram

---

[1]) S. Methodius, ut supra vidimus, pravae ac falsae doctrinae adhuc vivens accusatus fuit. — Cfr. Epist. Joannis VIII. ad Method. an. 879. — Apud Ginzel, p. 58.

[2]) Farlati (o. c., III, p. 94 f.) dicit: „*conniventibus*".

[3]) His videtur Pontifex ad Methodii „*haereticam*" alludere doctrinam.

[4]) Cfr. Rački, *Documenta,* p. 188—89; Farlati, o. c., III, p. 93; „*Wahrscheinlich*", ait Hergenröther, „*kannte Johann X. das Privileg seines Vorgängers* (Joannis VIII. an. 880.) *so wenig wie den Methodius* — eine Unwissenheit, die bei der Barbarei jener Zeit wohl erklärlich ist". — Cfr. *Photius,* II, p. 625. Anm. 135.

audacter corrigere satagat..., ita, ut *secundum mores s. Rom. Ecclesiae* in Sclavinorum terra ministerium sacrificii peragant (Slavi), *in Latina* scilicet *lingua non autem in extranea* (i. e. Slavica)“ [1]).

Idem Rom. Pontifex ad Chroatorum regem Tomislav et Michaëlem, ducem Chulmorum scribens [2]), deducit, quod cum universus populus per Sclavoniam et Dalmatiam ab Ecclesia Romana christianismo genitus est, eiusdem Ecclesiae etiam usum sequi debeat: „Quis enim ambigit Sclavinorum regna in primitiis apostolicae et universalis ecclesiae esse commemorata? cum a cunabulis escam praedicationis apost. Ecclesiae perceperunt cum lacte carnis, sicut Saxones novo tempore a nostro antecessore piae memoriae Gregorio [3]) papa doctrinam pariter et *litterarum studia in ea videlicet lingua, in qua illorum mater apostolica Ecclesia infulata manebat*“ [4]). Ulterius exhortatur omnes dicens: „ut vestros tenerrimos pueros a cunabulis in studio litterarum Deo offeratis [5])... Quis etenim specialis filius s. Romanae Ecclesiae, sicut vos estis, in *barbara* [6]), seu *Sclavinica lingua Deo sacrificium offerre delectatur?* [7])

2. Legati Joannis X., prout ipsis iniunctum erat, Spalatum anno circ. 924. omnes episcopos metropolis Spalatensis in concilium convocavere. In hoc concilio aderant, praeter episcopos Latinos et Gregorium, Nonensem episcopum, adhuc et Tomislav,

---

[1]) Cfr. *Documenta*, p. 189; Farlati, III, p. 93.

[2]) Ibidem, p. 189—190.

[3]) Intelligitur Gregorius II., qui s. Bonifacium ad Germanos misit an. 725. — Cfr. Farlati, III, p. 95 s., ubi et litterae commendatitiae legi possunt.

[4]) Cfr. *Documenta,* p. 190.

[5]) His verbis Rom. Pontif. hortatur Tomislav et Michaelem et alios principes, ut filios suos Latinis litteris imbuendos curent, ut ex ipsorum natione numquam desint, qui ad sacerdotium eligi, et sermone Latino sacra mysteria peragere et populo dispensare possint: „*ne posthac*“, ait Farlati (o. c., III, pag. 96), „*necesse sit, ob ignorantiam Latinae profanam et vulgarem linguam apud Slavos in rebus sacris adhiberi*“.

[6]) Eodem verbo designavit Joannes VIII. (an. 879., die 14. iunii) linguam, in qua s. Methodius Missas celebrabat. — Cfr. Ginzel, *Codex*, p. 58.

[7]) Joannes X. videtur deducere velle, quod nullus in unione cum Eccl. Romana esse possit, nisi et usus atque mores eiusdem Ecclesiae habeat. Ita debemus intelligere verba eius: „non quippe ambigo, ut in eis aliud moneat nisi illud quod scriptum est: ex nobis exierunt et non sunt ex nobis; nam si ex nobis essent, *manerent utique nobiscum, nisi in nostra conversatione et lingua*“. — *Docum.*, p. 190.

rex Chroatorum, Michaël, dux Chulmorum (in hodierna Hercegovina), caeterique principes Chroatici [1]). In concilio maximae rixae et disceptationes exortae sunt cum de usu idiomatis Slavici et de finibus dioeceseos Gregorii, episcopi Nonensis agebatur [2]). Instigantibus legatis Summi Pontificis et episcopis Latinis canone X. lingua Slavica liturgica prohibita est sequentibus verbis [3]): „*Ut nullus episcopus nostrae provinciae* (i. e. archiepiscopatus) *audeat in quolibet gradu Sclavinica lingua* (quemlibet) *promovere;* (qui) *tamen* (promoti sunt) *in clericatu et monachatu Deo deservire* (poterunt) [4]). *Nec in sua Ecclesia sinat eum Missas facere; praeter si necessitatem sacerdotum haberet: per supplicationem a Romano Pontifice licentiam ei sacerdotalis ministerii tribuat*“ [5]). In posterum igitur severe prohibetur Slavicos ordinare presbyteros, et illi, qui ordines sacros iam habent ut simplices clerici (id est, ut habentes ordines solummodo minores) adhiberi possunt. In casibus autem extraordinariis et necessitate cogente, cum expressa Summi Pontificis licentia etiam Slavice Missas celebrare licitum erit.

Contra hunc decimum concilii canonem Gregorius, Nonensis episcopus cum suis asseclis protestatus est et ad Romanum appellavit Pontificem. In sua epistola ad Joannem X. Gregorius probabiliter ad approbationem linguae Slavicae per Joannem PP. VIII. (an. 880.) allusionem fecit, quod e responso Joannis X. colligere possumus [6]). Gregorius Nonensis defendendo usum linguae Slavicae in ss. functionibus tales dedit rationes, ut ipse Joannes Papa X. coactum se senserit suspendere canonem contra usum Slavici idiomatis: „*Et quia illic*“, inquit Rom. Pont., „maxima erat impressa murmuris ratio, suspendere hoc (scil. can. X.) curavimus“ [7]).

---

[1]) Cfr. *Documenta*, p. 187; Farlati, o. c., III, p. 92 ss.

[2]) Cfr. litteras Joannis X. post concilii celebrationem. Apud Rački, *Docum.*, p. 193, Nr. 3. Farlati, o. c., III, p. 101—102.

[3]) Amanuensium inscitia aut negligentia textus est mancus et depravatus eumque nos corrigere et supplere conati sumus.

[4]) Ad haec verba addit Farlati (o. c., III, p. 99): „sed sacrificio Missae abstineant, nisi caleant vel addiscant Latinas litteras, et Latina liturgia uti possint ac velint“.

[5]) Cfr. *Documenta*, p. 192; Farlati o. c., III, p. 97.

[6]) Cfr. Rački, *Documenta*, p. 193.

[7]) Ibidem.

Eodem tempore Joannes X. Gregorio Nonensi et Joanni, archiepiscopo Spalatensi imperavit, ut Romam uterque quam primum venirent, coram ipso, causam quisque suam acturi[1]). Probabiliter in praesentia Summi Pontificis Gregorius Nonensis eodem successu ac quadraginta ante annos s. Methodius coram Joanne VIII. linguae Slavicae defensorem egit; quia abhinc plusquam 130 annis Chroati lingua Slavica *tranquille* usi sunt[2]).

Maxima igitur cum certitudine affirmare possumus et debemus linguam Slavicam liturgicam apud Chroatos in tertio decennio saeculi decimi in usu fuisse, eamque ibi plures habuisse cultores. Pro *certo* etiam scimus, eam ibidem non exstitisse antequam in Moravia a ss. Cyrillo et Methodio introduceretur. Ergo ante annum 863. *certe* lingua Slav. liturgica apud Chroatos in usu sacrorum mysteriorum non adhibebatur. Inter annos 863. et 924. quaerenda est igitur origo idiomatis Slavici liturgici in Chroatia. Anno 924. certissime s. Methodio ut auctori a Joanne Papa X. attribuitur, ex quo legitime deducitur eum ipsius esse *immediatum* aut saltem *mediatum* introductorem etiam in Chroatia et Dalmatia. Sed per id nullatenus et tempus introductionis determinari potest.

3. Quaeritur: *Quo circiter tempore apud Chroatos sacra celebrari mysteria facillime potuissent in lingua Slavica.*

Probabiliter usus linguae Slavicae in sacra liturgia apud Chroatos invaluit a) *tempore schismatis Chroatici* (i. e. inter ann. circ. 876.—880.); b) *vivente adhuc s. Methodio* († 6. april. 885.); c) *tempore Theodosii, episcopi Nonensis, et postea archiepiscopi et metropolitae Spalatensis ecclesiae.*

Ad faciliorem nostrae argumentationis intelligentiam omnia ea, quae hucusque diximus sedulo prae oculis sunt habenda.

a) Diximus, usum Missas aliaque sacra officia Slavice celebrandi in Chroatia invaluisse tempore schismatis. Quantum temporis Chroati sub iurisdictione Photii, patriarchae CPolitani remanserint, certo nescitur, ut supra iam dictum est. Sed pro nobis sufficiens est, ut constet de eorum separatione a patriarchatu occidentali et adhaesione patriarchae Photio. De hoc, ut ex authenticis litteris Joannis VIII. (an. 879) patet[3]),

---

[1]) Rački, *Documenta,* p. 193; Farlati, o. c., III, p. 101.

[2]) Usque ad an. 1059.—60. — Rački, l. c., p. 204, Nr. 154; Farlati, o. c., III, p. 128 ss.

[3]) Cfr. Rački, *Documenta*, p. 8 ss.

certo constat. Nos introductionem Slavici idiomatis huic tempori, sequentibus ducti rationibus, attribuimus:

α) *Vita Methodii* (cap. 13.) loquendo de itinere CPolitano[1]) s. Methodii haec refert: „Excepit eum (Meth.) imperator (Basil. I.) cum magno honore et gaudio, et doctrina eius collaudata, *retinuit e discipulis eius presbyterum et diaconum cum libris*". Ex his verbis legitime deducitur, Basilium I. (et cum eo patriarcham Photium) revera favisse linguae Slavicae liturgicae et ipsius gratia aliquot e discipulis s. Methodii presbyteros et diaconos apud se retinuit. Discipulis s. Methodii certe non indigebat Basilius I. nec eius patriarcha Photius ad proprium usum, sed sine ullo dubio ad facilitandam conversionem Slavorum, cum Macedoniae tum aliarum Slavicarum regionum. praesertim illarum a Chroatis possessarum, quas potestati suae subiugare utrique, Basilio nempe et Photio, in votis semper fuit.

De Basilio I. narrat Const. Porphyrogenetus[2]), quod Chroatis miserit sacerdotes, ut ipsos baptizaret: »τοὺς ἐξ αὐτῶν ἀβαπτίστους βαπτισθῆναι«. Chroatos imperator CPolitanus baptizare voluit, et quidem, ut fideles subditos habeat[3]), et ideo *libros Slavicos* s. Methodii apud se retinuit. Veritas narrationis *V. Methodii* hoc testimonio Const. Porphyrogeneti lucidissime comprobatur.

β) Ratio, propter quam Chroati se ad Basilium I. et Photium converterunt, pro *certo* nescitur; verisimiliter propter tristes eventus Slavorum Moraviae, ut ex. gr. captivitatem et ludibria, quae perpessus est s. Methodius in exilio apud „Suabos"[4]), captivitatem et mortem Rostislai. principis[5]), suppressionem principatus Slovenici etc., de quibus omnibus Chroati nuntium acceperunt, qui similem timentes sortem, orientali sese imperio et patriarchatui adiunxerunt[6]). Hac fortassis utens

---

[1]) De hoc itinere alibi fusius locuti sumus.

[2]) Cfr. Rački, *Documenta*, p. 370—71.

[3]) Idem, Ibidem, p. 373, Nr. 184.

[4]) Cfr. Epist. Joannis VIII. ann. 879. Apud Ewald, *Neues Archiv*, V, pag. 301 ss.

[5]) Cfr. Jagić, *Z. Entstehgsgschte*, I, p. 27 ss.; Hergenröther, *Photius*, II, p. 607. Anm. 29. Secundum Farlati certe Chroati Franconum iugum excutere volentes Basilio I. sese adiunxerunt. — Cfr. *Illyricum Sacrum*, III, pp. 73, 74, 81.

[6]) Cfr. Rački, *Documenta*, pag. 368 ss., Nr. 184; pag. 373, Nr. 185; pag. 8 ss., Nr. 5 ss.

occasione Photius, et, ut Chroatos suae magis alligaret ecclesiae, ipsis permisit aut forte consuluit, lingua Slavica uti in sacris peragendis mysteriis, sicque ipsos ab Ecclesia Romana haud parum abalienavit. Id eo magis opinari licet, quia praecise *his temporibus* Joannes VIII. Moravis eiusdem usum *bis severissime* prohibuerat. Idem Rom. Pontifex, quod semel atque iterum prohibuit, anno 880. s. Methodio solemnissime concessit. Joannes VIII. propter graves rationes sic inopinate mutare potuit sententiam. Forsan omnes Slavos perdere timebat si non concederet, quod bis prohibuerat.

γ) Certum est, ut iam vidimus, magnas fuisse discussiones in Chroatia initio saec. X. (an. 924.) de usu et conservatione linguae Slavicae in ss. functionibus, sed quandonam in Chroatiam illa venerit, expressis non indicatur verbis. Sancto tamen Methodio ut auctori attribuitur. Meliores circumstantiae vix adfuerunt, quam illae, quando Chroati ab unione cum Rom. Pontifice ad tempus sese separaverunt. Ipse Jagić [1]) momentum aliquod favorabilius pro introductione linguae Slavicae apud Chroatos non potuit designare, cum dicit: „Es ist in der That *kaum möglich*, einen anderen so günstigen Zeitpunkt zu finden, da in diesen Ländern der adriatischen Küste und ihres Hinterlandes die slavische Liturgie hätte Eingang finden können ... Wann hätte also diese (die slav. Liturgie), da sie nun einmal vorhanden war (924), *leichter Eingang finden können,* als jetzt, zur Zeit, als *Basilius in Constantinopel regierte,* Methodius in Mähren wirkte und *die dalmatinischen weltlichen und kirchlichen Herren sich auf eine Zeit Ost-Rom angeschlossen hatten?*"

Ad confirmationem horum, quae diximus, notamus adhuc, Ecclesiam orientalem minus esse severam in admissione usus idiomatis popularis in sacris functionibus peragendis, quam Ecclesiam occidentalem, ut ex historia constat. Haec agendi ratio multum conversioni infidelium favebat. Chroati *certe* cum ecclesia orientali fuerunt. Ergo aliquali cum probabilitate praesumere possumus, quod et apud illos functiones liturgicae in slovenico (h. e. hodierno Paleo-Slavico) idiomate (instigante Photio?) peragebantur, quod illis temporibus ab omnibus Slavis, praesertim illis Illyrici occidentalis, apud quos s. Methodius

---

[1]) *Zur Entsgschte*, I, p. 43.

ordinariam iurisdictionem episcopalem exercebat, notum iam fuit, quodque Joannes VIII. semel atque iterum prohibuerat [1]).

b) Idioma Slavicum apud Chroatos vivente adhuc s. Methodio introductum esse videtur α) quia ipse *probabiliter* Chroatiam *non semel peragravit,* β) quia constans est traditio Methodium esse illius in Chroatia introductorem.

α) Probabiliter Chroatiam a s. Methodio visitatam fuisse, de eius relationibus cum Chroatis agentes, sufficienter diximus. In Chroatia autem Savia Methodius suos dioecesanos habuit, et quod ibidem linguam Slavicam introduxerit, nullo dubio subesse videtur. „*Anonymus Salisburgensis*" [2]), hoc idem attestatur, qui, agens de Richbaldo, archipresbytero (Χωρεπίσκοπος), ait: „qui (Richbl.) multum temporis ibi (in Pannonia Inferiori = Chroatia Savia) commoratus est... *usque dum quidam Graecus Methodius nomine, noviter inventis Sclavinis litteris, linguam Latinam doctrinamque Romanam atque litteras auctorales Latinas philosophice superducens vilescere fecit cuncto populo ex parte* (Slavorum) *Missas et Evangelia Ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc Latine celebraverunt*". Igitur constat Slav. linguam liturg. vivente adhuc s. Methodio in Chroatia septentrionali introductam fuisse. Hoc testimonium „*Anonymi Salisburgensis*" confirmatur et „*Excerpto de conversione Carantanorum*" [3]) illis verbis, quae alia occasione iam semel citavimus, nempe: „Post hunc (i. e. Hosbaldum)... supervenit quidam Sclavus (rectius *Graecus) ab Hystriae et Dalmatiae partibus nomine Methodius, qui adinvenit Sclavicas litteras et Slavice celebravit divinum officium et vilescere fecit Latinum*..." Non solum in Chroatia Savia, sed etiam in Istria et Dalmatia, introductum fuisse idioma

[1]) In nostra hypothesi, si Photius introduxit linguam Slavicam in Chroatia, ss. functiones *probabiliter ritu* graeco peragebantur. — Saeculo IX. exsistebat verisimiliter solummodo alphabetum *glagoliticum*, cuius est auctor s. *Cyrillus*, alphabeti vero *Cyrilliani* ignotus est auctor. — (Cfr. V. Jagić, *Zur Entstgschte*, I, p. 64—66; *Archiv f. slav. Philologie*, XXIII, 113—121. „*Einige Streitfragen*". 5. „*Welcher von den zwei slavischen Schriften soll die Priorität zuerkannt werden?*") — Ex alphabeto ergo vix ulla potest difficultas contra nostrum argumentum sublevari.

[2]) „*Historia conversionis Carantanorum et de Methodio testimonium quaerulum*". — Apud Ginzel, o. c., pag. 55 s. Hoc documentum est IX. saeculi (an. 870.—873.) — Cfr. Dümmler, *Ostfr. Reich*, II, p. 376. Anm. 1; Jagić, o. c., I, p. 23—24.

[3]) Cfr. Ginzel, o. c., *Codex*, p. 68.

Slavicum in celebratione s. Missae sacrificii, temporibus s. Methodii ex hoc documento rationabiliter deducitur.

β) Traditionem esse constantem, quod s. Methodius sit introductor idiomatis Slavici liturgici in terris Chroatorum, colligitur ex actis variorum conciliorum, quae contra usum huius idiomatis celebrata fuerunt. Supra iam vidimus hoc idioma a Joanne X. an. 924. attributum fuisse s. Methodio, ut auctori, cuius etiam doctrinam in dubium vocavit, i. e., eam esse alienam a doctrina Evangelii atque canonum. Similiter et anno 1059.—1060., tempore concilii Spalatensis, sequenti modo, de lingua Slavica liturgica iudicabatur: „In qua (scil. synodo) multa fuerunt conscripta capitula. inter quae siquidem hoc firmatum est et statutum, ut nullus de caetero in lingua Sclavonica praesumeret divina mysteria celebrare, nisi tantum in Latina et Graeca; nec aliquis eiusdem linguae promoveretur ad sacros ordines. Dicebant (scil. patres concilii) enim, *gothicas*[1]) *litteras a quodam Methodio haeretico* (sic!) fuisse repertas, qui multa contra catholicae fidei normam in eadem Sclavonica lingua *mentiendo* (sic!) conscripsit; quam ob rem divino iudicio repentina dicitur morte fuisse damnatus“[2]). Ergo ducentis fere annis post mortem s. Methodii ipse *haereticus* dicebatur, quia „in Sclavinica lingua“ multa contra fidem catholicam scripserat! Hanc assertionem minus rectam et historicis factis omnino contrariam esse constat ex epistolis Joannis VIII. (an. 880.—81.), qui s. Methodium omnis prorsus culpae et haereseos suspitionis immunem esse declaravit[3]). Hic tamen est notandum s. Methodium iniuste haereticum denuntiatum fuisse, *propter* linguam Slavicam in qua divina mysteria celebrabantur. Saeculo XII. ss. Cyrillo et Methodio, ut auctoribus adscribebatur introductio linguae Slav. in ss. mysteria et ecclesiastica officia[4]). Eodem modo saeculo XIV. a Joanne Dandulo, chronista et duce Venetiarum origo linguae Slav. apud Chroatos s. Cyrillo adscribitur, ait enim: „Hic beatus Cyrillus pene omnium Slavorum dictus est apostolus, quia hos ad fidem reduxit, et divinum officium in lingua Slavonica iis (Chroatis) transtulit“[5]).

[1]) i. e. glagoliticas.

[2]) Cfr. Rački, *Docum.*, p. 204, Nr. 154; Farlati, o. c., III, p. 130.

[3]) Ginzel, o. c., *Codex*, p. 60 s. et 63 s.

[4]) Vide ea, quae diximus agentes de *Presbytero Diocleate.*

[5]) Cfr. Jelić, *Fontes*, saec. XIV. p. 6, Nr. 8.

Traditio secundum quam ss. Cyrillus et Methodius essent innovatores linguae Slavicae etiam in Dalmatia, debet supra aliquod factum historicum fundari, aliter est inexplicabilis.

c) Usum idiomatis Slavici in Chroatia exstitisse tempore Theodosii, Nonensis primum episcopi, deinde Spalatensis archiepiscopi arbitramur propter sequentes rationes.

α) Quia successores eius in sede episcopali Nonensi, praesertim Gregorius Dobre, maximi defensores et propagatores idiomatis Slavici in liturgia fuerunt. Supra vidimus quomodo Gregorius defendebat usum dicti idiomatis in concilio nationali Spalatensi (an. 924.), quo tempore plures inter Slavos Illyrici occidentalis erant, qui illud colebant ipsique mordicus adhaerebant, quod supponit eius *longiorem* ibidem exsistentiam et aliquem *in dignitate* positum, qui ipsius propagationem fovebat. Sed nullus alius episcopus aptius potuit id efficere quam Theodosius Nonensis, qui postea creatus est archiepiscopus Spalatensis et ita facillime poterat *Slavum* sibi designare successorem. De Theodosio scimus illum aliquo tempore administrasse *simul* dioecesin Nonensem et archiepiscopatum Spalatensem [1]).

β) Theodosium Nonensem magnum fuisse fautorem linguae Slavicae liturg. sequitur ex eo, quod, testante Nicolao clerico Arbensi, ipse confici mandaverat *Psalterium glagoliticum*. Sequens adnotatio erat in codice Nicolai Arbensis: „Anno Incarnationis Dominicae 1222. Honorio Summo Pontifice, Friderico et Roberto imperatoribus, Rege Hungarorum Andrea (II.), Gonzello, Spalatensi archiepiscopo. Clericus Arbensis Nicolaus ex alio similiter Psalterii, impensis et mandato Theodori (rectius Theodosii [2]) ultimi Salonitani (i. e. Spalatensis) Pontificis, Slavonica lingua manuscripto codice, fideliter descripsit“ [3]). Supra memoratum *Psalterium* R. Levaković, O. F. M. an. 1634. prae manibus habuit, nunc autem deperditum est. Hoc documento historico freti magna cum probabilitate liceat asserere linguam Slavicam liturgicam temporibus Theodosii Nonensis apud Chroatos in usu fuisse.

---

[1]) Cfr. „*Starine*“, XII, p. 219, Nr. 12.

[2]) Catalogus Romanus erronee scribit Theodorus ut patet ex epistolis Stephani VI. — Cfr. „*Starine*“, XII, p. 219, Nr. 12 et 13.

[3]) Cfr. Jelić, *Fontes historici*, s. XIII, p. 5 ss., Nr. 2.

Conclusio.

Usus Slavicâ linguâ sacra peragendi mysteria primum a ss. Cyrillo et Methodio in Moravia, inter annos 863. et 879., introductus est. *Forsan* Hadrianus II. ipsum, si non *in scriptis* saltem, ut videtur, *viva voce* confirmavit, certe autem a Joanne VIII. semel atque iterum s. Methodio prohibitus est (an. 873. et 879.). Anno vero 880. mense iunio idem Joannes VIII. dictum usum *claris et expressis verbis approbavit et laudavit.* Quinque annos postea a Stephano VI., immediato Joannis VIII. successore, severissime prohibitus est. Post mortem s. Methodii († 6. april. 885.) discipuli eius e Moravia eiecti sunt, et asylum in aliis Slavicis regionibus quaesierunt. *Probabiliter* quidam ex illis ad Chroatos venerunt. Sanctos Fratres, s. Cyrillum et praesertim s. Methodium, cum Chroatis relationes habuisse magna cum probabilitate affirmavimus, pars enim septentrionalis Chroatiae, i. e. Chroatia Savia sub Methodii *ordinaria* quondam iurisdictione erat. Usus linguae Slav. liturgicae probabiliter temporibus schismatis Chroatici (an. circ. 876.—880.) *primum* invaluit, *deinde* de die in diem propagabatur. Praecipuus eius propagator *Theodosius Nonensis* fuisse apparet. Anno 924. maior numerus patrum concilii Spalatensis contra usum linguae Slavicae in liturgia se declaravit, attamen Joannes X. decisionem concilii, propter rationes nobis ignotas, confirmare recusavit.

Breve curriculum vitae.

In *Klobuk (Poljane)* pago civilis districtus oppidi *Ljubuški* in Hercegovina, ex catholicis coniugibus *Mariano Petrović* et *Angela Jurčić* eodem loco oriundis, die 28. februarii 1883. natus sum et in suscepto baptismate *Gregorius* appellatus.

Aetatis anno *decimo* in puerilium disciplinarum schola *Veljaci* prima litterarum elementa coepta et tribus annis reliqua frequentata rudimenta prosequutus sum apud franciscales in conventu *Širokibrijeg*, ubi etiam humaniores et gymnasiales classes anno 1900. recte absolvi.

Ordinem Fratrum Minorum s. Francisci in Provincia hercegovinensi eiusdem anni 1900. die 4. octobris amplexus sum, assumpto *Leonis* nomine. Atque in coenobio *Humac* penes Ljuški annuali tirocinio peracto, eidem ordini memet devovi in perpetuum.

Postea ab anno 1901. ad annum 1904. in seminario *Mostar* Philosophiae praeceptis et s. Theologiae doctrinis impensa opera, caetera anhelaveram ampliora studia. Hinc anni 1904. mense octobri in *Universitate Friburgensi Helvetiorum* inclita sublimiores theologicos tractatus sollicita continuavi cura.

In eadem Helvetica civitate ordinem s. presbyteratus anni 1905. die 30. iulii suscepi et die sequenti primum ad altare, Altissimo sacrificium oblaturus, accessi.

Ineunto anno scholari 1905.—6. ad gradus academicos adipiscendos, superiorum voluntati obtemperans, necessaria praeparabam, atque die 1. martii anni 1906. **Baccalaureus;** die vero 12. iulii eiusdem anni **Licentiatus** in s. Theologia, examinibus „*cum laude*“ superatis, renuntiatus sum. Demum tribus ultimis diebus mensis ianuarii anni 1908., admissa iam Dissertatione, ad **Doctoratus** gradum acquiredum examinis me periculo subieci.